MEDICINAE PRAXEOS

COMPENDIUM

AD MENTEM

CLARISSIMI E. G. CLARKE

AUCTORE

A. SPEDALIERI

PHYSIOLOGIAE ET ANATOMES COMPARATAE

IN REGIO CAESAREO ARCHIGYMNASIO TICINENSI

PROFESSORE.

VOL. I.

TICINI.

APUD HAEREDES PETRI GALEATII.

1815.

MEDICINAE TIRONIBUS.

Erunt fortasse, qui mirentur, me in tanta rerum medicarum luce, hoc medicinae compendium studiosis exhibere, ac publici juris facere iterum voluisse. Desinent tamen mirari, quum perspexerint, difficile profecto atque arduum opus esse, hac nostra aetate medicinam facere; propterea quod in tanta opinionum agitatione sententiarumque discrepantia, neglecta prorsus experientia, dum medici, obscuris perplexisque principiis imbuti, veritatem investigare videntur, effraene disputandi licentia perducti in hypoteticas falsasve theorias incidunt. Medicina non hominum sed observationum et temporis est filia. Errant igitur qui magna quaedam volumina de re medica, sine ulla certa via ac lege scribunt et divulgant (utinam non tanta esset eorum copia). Errant qui in hypoteses novas ani-

mum diu occupant et in explicandis morborum phoenomenis conjecturas factis substituunt. Quis est tam caecus, ne stultus dicam, qui non videat opiniones ab istis traditas confusas esse et perturbatas; non enim naturam ducem sequuntur, quae rerum varietatem obscuris principiis obtegere voluit, sed statim ab initio in altum advolant et in universa oculorum aciem protendunt. Sunt qui Chemicis inventis innixi hypoteses jamdudum obsoletas revocare student, et opiniones sustentant quarum aliae rationi, aliae autem experientiae adversantur. Nonnulli animos medicorum ad electricitatis efficaciam vimque ejus magnam et in corpore sano atque morboso juste aestimandam vertere conantur; antithesim adesse inter omnes animalium functiones, ac vires vitales Galvanismo processui analogas esse autumant; sed ii nimium speculationi indulgent, vanas ac medicinae praxi fere inutiles sententias excogitant. Alii summo studio incitabilitatis doctrinam exornant, dumque multos rejiciunt errores, ingeniosas vel potius speciosas quam veras ideas adjungere satagunt; eorum attamen principia de duplici morborum diathesi, non tantum vete-

rum praejudicia praxim perturbantia evellunt, sed gravia etiam et utilia continent praecepta. Redeo ad illos, quorum ab audacia vehementer abhorreo; homines tumidos, rerum admirabilium artifices et magistros, qui nova et barbara effingendo vocabula, conjecturales et absurdas theorias cum veritate confundunt, medicum rationalem vel empirici nomine designant, vel alto supercilio despiciunt et maledica carpunt lingua. Ii abdita, astrusa et recondita animalis oeconomiae phoenomena e tenebris evocant, et vanitate decepti humanam naturam talem esse credunt, qualis ad vana eorum commenta confirmanda maxime apta videatur. « Verum hac arte sese imperitis ven« ditant, qui ea quae non intelligunt, admi« rantur et obstupescunt «. In tanta et tam varia hypotesium copia, eccui fides praestanda? Quo nos vertere inter tot sententiarum tortuosas ambages? Cui praecipue insistendum? Via illa munienda est, experientia et observantione, quae non solum ad morborum sedem cognoscendam, sed etiam ad affectuum judicia nos facile ducat. Porro sola experientia sine observationis auxilio est admodum fallax; alia alterius operam poscit; medicus

enim, qui nulla imbutus theoria praxim tantummodo excoluit, nec corporis fabricam, nec modum quo organorum functiones operantur, unquam intelligere potest. Hoc tantum lumine, qui utramque conjunxerit quid utile, quid noxium in medicis rebus, quid corpori salutare aut inimicum deprehendere valet. Ne nos terreat medicorum auctoritas; nullius opinioni addicti veritatem acriter investigemus; sic perpetua et inconcussa ars medica manebit. Sic demum experientia, observatione suffulta, medicinae praestat firmitatem. In arte enim tam difficili « non fingendum aut excogitandum, ait « Baco, sed inveniendum quid natura fa« ciat aut ferat «. Morborum historiae ex dictamine naturae conscriptae, diligenter confectae, et ex puro observationum fonte deductae plus pollent quam obscura illa systemata, a quibus si semel praeoccupatur medicorum mens, difficillime recedit. Quod si veterum exempla, qui inter maximos habiti sunt medicos, sequamur, magna quidem in hoc itinere impressa vestigia inveniemus. Sed quid veteres memoro? Quamplurimi hac nostra aetate haud parvi nominis medici hanc tenuerunt viam. Hic summo cum honore

nominare juvat Boerhaavium, Baglivium, Hoffmann, Ramazzinium, Torti, Burserium et Frank; Sydhenam praecipue qui observatione et experientia fretus, rationalis medicinae fundamenta jecit. In historiis morborum conscribendis, medicus pictori est fere similis; hic enim ad repraesentandam hominis imaginem, non solum formam sed levissimas etiam maculas delineat, ille aegrotantium physiognomiam, faciei et sensuum mutationes adumbrat, et quae sint symptomata, quae causae, sedulo notat et candide refert. Medicinae finis est morbos cognoscere ac aegros ad sanitatem perducere; quae vero ad finem consequendum spectant, quaeque animo et mente considerare medicus debet, sunt, morbi et partis affectae naturam prius cognoscere, historias morborum observatorum studiose conscribere et collectas inter se comparare, deinde ex artis praeceptis agere. « Medico diligenti, priusquam cone« tur aegro adhibere medicinam, non so« lum morbus ejus, cui mederi volet, sed « etiam consuetudo valentis corporis cogno« scenda est (1). Porro morborum cognitio

(1) Cicero, De Orat. II. 44.

difficillima est; prima enim morborum incipientium semina latent velut in alta noctis caligine. Partium vicinarum actio, vel earum ad eamdem actionem conspiratio, affectuum diversorum concursus, symptomatum multitudo et confusio, morbi alterius in alterum mutatio sunt revera causae, quae diagnosim morborum difficilem reddunt, nisi complexus horum omnium sagaci rationis usu consideretur (1). Singularum partium suum unicuique opus ac munus est; morbum igitur cognoscere haud possumus, nisi prius consideremus quaenam partis actio sit laesa; deinde causas morborum accurate elicere et affectum dignoscere oportet. Verum quoniam nulla fere animalis oeconomiae pars laborat unquam, quin reliquae quoque partes imbecilliores sentiantur, optimi medici officium esse arbitror, non solum ejus partis, quae aliquo morbo vexatur, verum etiam totius corporis naturam diligenter perpendere. Attamen gravissima et maximi momenti morborum signa sunt aliquandiu adeo obscura, vel confusa,

(1) Fienus, De signis medicis tractatus. 4. Lugd. 1664. P. I. Sect. IV. Cap. IV.

ut non semper sensibus percipi possint. Quare haud facile aberrabimus si aliorum experientia edocti quamlibet morbi speciem cognoscere enitemur. Hoc tantum modo, observando scilicet et periclitando, ediscere rationes et diligenti imitatione nobis proprias reddere possumus.

Haec diu pervolvens, operae pretium me esse facturum existimavi, si hoc medicinae compendium, in quo praecipua et utilissima medicinae praecepta continentur, Italiae Medicis iterum exhiberem. Ordinem simplicissimum et usui accomodatum, quem tenuit Clarke, sequutus sum; ad hujus illustris Medici exemplar quae sint morborum symptomata, differentiae, mores, magnitudo et causae evidentes, adnotavi; sed ut melius innotesceret morbi natura, varias corporis dispositiones, necnon aetatis, sexus, consuetudinum, temperamenti, climatis et vitae generis proprietates exploravi. Denique formam externam ceterasque extrinsecas corporis qualitates diligenter investigare volui, ut non aegri tantum quam ejus parentum avorumque morborum historiam cognoscerem, quae quidem inquisitio plurimi facit in medicina exercenda. Absoluta hac parte,

quid de morborum eventu promittendum sit et ex quibus curandi ratio sit ducenda diligenter distinxi. Morborum historias ex optimorum tam veterum quam recentiorum Medicorum operibus, nec non ex propria experientia decerpsi. Multa adjunxi, pleraque commutavi, omnia in ordinem digessi; nil certe novi apposui, sed ea quae in tanta librorum copia erant dispersa, utili distributione sub uno aspectu posui. Nosologicam Cullenii divisionem sequutus sum; nam usque adhuc ordine et perspicuitate magis aptam esse putavi: nonnullas vero morborum species alio modo collocavi. Caeterum operam dedi, quantum aliae occupationes mihi permisere, ut auctum et emendatum exiret hoc praxeos medicinae compendium; et nullas partes, quae mihi necessariae esse videbantur, me omisisse arbitror. Postremo qui haec legerint pro comperto habeant velim, in hoc libro nihil tam mihi fuisse propositum, quam tironum utilitati consulere.

Dabam Ticini 20. Decembris 1815.

INDEX CAPITUM.

MEDICINAE PRAXEOS COMPENDIUM.

CLASSIS I. PYREXIAE.

CHARACTER.

Post horrorem pulsus frequens, calor major, plures functiones laesae, viribus praesertim artuum imminutis.

ORDO I. FEBRES.

CHARACTER.

Praegressis languore, lassitudine, et aliis debilitatis signis, pyrexia sine morbo locali primario.

CAPUT I. INTERMITTENTES.

SYMPTOMATA.

Intermittentes febres nunc de repente invadunt, nunc vero signa febris prodroma eas annuntiant.

Tria sunt stadia, ex quibus paroxysmus quisque febris intermittentis constat. Stadium primum oscitatione, pandiculatione, lassitudine, habitus externi extenuatione, dorsi, digitorum apicum dolore et sudoribus profusis post quemvis corporis motum, vel molestiae sensu incipit; haec subse-

quuntur rigor, horror frigorisque sensus in dorso primum, tum in corpore toto quando revera magis calet; nausea, vomitus biliosus, capitis, lumborum artuumque dolor comitantur; respiratio difficilis fit et anxia cordisque palpitatione vehementi quandoque stipata; dentium stridor, pallor cutis, unguium livor et digitorum; pulsus citatus debilis et parvus, et urina limpida; alvus aliquando nimis soluta. Frigore gradatim recedente excipit stadium secundum; a tergo calor urget vix tolerandus, cujus duratio ad horas sex, ad octo usque non facile excedit; pulsus fit plenus, validus atque durus, nonnunquam inaequalis; respiratio magis libera sed anxia; dolet caput, et delirium aliquando adest; superficies rubra et turgida; lingua alba, sicca; sitis magna, et urina rubella vel flava demittitur; oculi ardent, ardet halitus oris; tinnitus aurium; insomnia; scintillae ante oculos apparent; praecordiorum calor magnus; ventriculi dolor et aliquando tumor. Aegro fere exarescente stadium tertium incipit, sudor copiosus toto e corpore erumpit, pulsus molles evadunt, urina sedimentum copiosum lateri-

tium deponit, restituuntur omnes secretiones, omnia symptomata remittunt, et continuato per tres quatuorve horas omnino tolluntur debilitatis solummodo sensu manente.

Febres intermittentes in vernales et autumnales sunt interstinctae. Vernalium intermittentium indoles plurimum differt ab autumnalibus; nam illae si naturam in plurimis sistunt, remissionibus magis, quam apyrexiis, incipientis morbi paroxysmi intersecantur. Aliquando sponte post quintam fere accessionem dissipantur, hominemque a variis hyberno tempore contractis morbis liberant. Ut plurimum tertianae vel quotidianae, sunt, rarissime quartanae. Autumnales vero intermittentes vel quartanarum vel tertianae duplicis indolem servant, pertinaciores et in recidivas magis sunt pronae. Tertiana prae caeteris quae post meridiem vel noctem versus quotidie accedit in perniciosam intermittentem tunc facillime mutatur, et frequentius epidemice grassatur. In paludosis, humidisque regionibus nulla febris intermittens vel aestiva vel autumnalis est fere innocua, quae temporis intervallo aut in perniciosam aut in continuam

febrim non transeat; praecipue si cachecticos, senes, et teneros infantes, vel delicatas mulieres aggreditur.

CAUSAE.

Debilitas; effluvia ex paludibus vel agris humidis exalata; constitutiones tempestatum irregulares; atmosphaera humida; animi pathemata, praecipue deprimentia; sudores suppressi; exanthemata retropulsa; balnea tam frigida quam calida; nimia ciborum ingurgitatio, et cibi nimis duri et concoctu difficiles; copiosa bilis secretio; anxietas; habitus vivendi laxus; corpus valde irritabile; frigus externe admotum, et contagium; pertinaces glandularum et viscerum abdominalium infarctus et obstructiones; arthritis.

DIAGNOSIS.

Febris intermittentis diagnosis primi paroxysmi initio valde difficilis a febre continua. Tremor validus et frigus magnum, sine ullo interposito calore, tres vel quatuor horas durans, priorem, frigus calorque vicissim, posteriorem potius comitantur. Mor-

bi epidemici regnantis cognitio diagnosim faciliorem reddit. Species diversae, elapso primo vel secundo paroxysmo, certe tantum cognoscuntur.

PROGNOSIS.

Symptomata fausta sunt, paroxysmi regulares non supra horas duodecim perdurantes; pustulae morbo decedente circa labia erumpentes; urina sedimentum deponens: quo magis regularis febris intermittens in primis stadiis, eo melior. Infausta sunt, coma, delirium, anxietas magna, tonsillarum inflammatio et tumor, alvus pertinaciter adstricta, hypocondrii et epigastrii, paroxysmo durante, tensio et dolor; cibi aversatio et debilitas vertigine in intermissionibus comitata; macularum crebra eruptio urticationem referentium. Intermittentes epidemicae pejores quam sporadicae; quartanae quam aliae; autumnales quam vernales: Hydrops incerta; si a scirrho viscerum oritur, lethalis est. Infirmissimos et senes primum stadium nonnunquam jugulat. Nimio motu, frigore, sudore impedito, potionibus calidis et aromaticis intermittens in febrim inflammatoriam mutatur.

Ex neglecta interdum vel non profligata febre intermittenti quamplurima profluunt tam acuta, quam cronica mala. Ex hoc fonte originem ducunt, ventriculi vel intestinorum turbae, oppressio, vomitus, tot viscerum abdominalium phisconiae, praesertim lienis hepatisque volumen auctum, scirrhi, artuum dolores, paralyses, surditas, icterus, hydropes et aedemata, intertrigines aut scabies, arthritis, epilepsia, vesania, melancholia, tot denique exanthemata quae cutim universam deturpant. Quo diutius intermittens perdurat, eo pertinacius remediis resistit, et in recidivas pronior est.

CURA.

Primae viae lenibus emeticis et catharticis sunt purgandae, et in intermissione tonica praecipue cinchona, amara, adstringentia largis dosibus sunt administranda; si haec nihil valeant, arsenicum, zincum vitriolatum; finis paroxismo imponatur si datum sit emeticum in gradu frigido, vel opii dosis plena in gradu calido; si adsit diathesis hyperstenica, venae sectio; si magna superveniat debilitas, diaeta nutriens est

adhibenda; si coma vel delirium, epispastica, cardiaca. An arteriarum et brachii compressio? Corpus instaurandum frictione, equitatione, cibo reficiente, et quammaxime ab accessione futura reducto; vino et loci vel aeris mutatione.

TERTIANA.

Febris quae meridie ut plurimum invadit; frigus validum cum rigore et artuum concussione, calor ingens, delirium, insomnia, sapor in ore amarus, vomendi conatus, vel vomitus biliosus. Paroxysmi sunt similes intervallo quadraginta octo circiter horarum et accessionibus meridianis, licet matutino etiam tempore incidere solent. Alternis diebus easdem accessiones decessionesque praebent intermediumque diem liberum relinquunt; pustulis tandem circa labia ortis, febris vel levatur vel solvitur.

QUARTANA *ET* QUOTIDIANA.

In his paroxysmi sunt similes, sed in quartana intervallum septuaginta duarum circiter horarum excipit accessionibus pome-

ridianis; in quotidiana intervallum viginti quatuor circiter horarum subsequitur paroxysmis matutinis. Horror quartanam evidentior, quam alias febres intermittentes, longiorque saepius annunciat; calor plerumque longiori mora protrahitur. Haec febris viribus tantum naturae relicta pertinacius aegrum vexat, habitum ei febrilem communicat et facilius in recidivas ruit. Quotidianae vero febres utplurimum paroxysmis matutinis invadunt, et quae post meridiem vel noctem versus omni die apparent, eae subdulae sunt et facillime ad perniciem vergunt. Febris quotidiana vel tertiana anticipat plerumque, quartanae utplurimum posponunt; illa pertinax aliquando est, et difficiliter superatur; haec facillime recurrit, recurrens vero raro pertinax est, nonnunquam sponte post aliquot paroxismos solvitur. Saepe vero quartana autúmno orta per hyemem durat integram, solstitii vernalis tempore tantum cessat. Febres quartanae faciles in morbos alios graves, praecipue in hydropem, icterum, etc. transeunt. Medendi ratio eadem est ac in tertiana.

Allen, Synopsis universae Medicinae Practicae. 8vo Venet. 1737.
Baumes, Memoire sur l' usage du Kin-kina dans les fievres intermittentes. 1790.
Burserius, Instit. Medicin. Pract. 4.° vol. 4. Mediol. 1785. Tom. I. p. 43. seq.
Grant, Ricerche sulle febbri 8.° vol. 3. Bassano 1787. Traduz. Italiana.
De Haen, Ratio Medendi 8.° vol. 12. Neapol. 1778. vol. VI. P. I. pag. 1. seq.
Heister I. H. Diss. de quartana et hydrope per Corticem Peruvianum curatis. Helmest. 1740.
Historia morb. Vratislav. 4.° Vratislaviae 1706.
Hoffmann Frid. Medicin. Rational. system. fol. Genevae Tom. 2. p. 1. sect. 1. cap. 1.
Huxam, De febribus etc. 8.° Venet. 1772.
Lind, Essai sur le Malad. des Europ. dans le pays chauds, Trad. de l' Angl.
Morton, Opera Medica. 4.° Genev. 1696. p. 2. Pyretologia p. 20. seq.
Quarin, Maniera di medicare le febbri, e le infiammaz. 8.° vol. 3. Venez. 1796. tom. 1. cap. XII. p. 167. seq.
Ramazzini, Opera Omnia. 4.° Londin. 1718.
Reil, Della conoscenza, e della cura delle febbri. 8.° Venezia. 1805. vol. II. P. I. Cap. 2. §. 27-59.
Sarcone, Istoria Ragion. dei Mali osservati in Napoli nel 1764. 8.° vol. 3. Venez. 1802.
Selle, Rudimenta Pyretolog. method. 8.° Amstelod. 1787. p. 338, et seq.
Senac, De recondita febrium intermittentium natura, etc. 8.° Amstelod. 1759.
Stoll, Aphorismi de febribus. Aph. 395. seq.
——— Ratio Medendi P. I. Venet. 8. 1785.
Sydenham, Opera Univers. Epist. I. Robert. Brady. 4.° vol. 2. Genevae. 1716.
Van-Svieten, Comm. in Boherhave Aphor. 4.° vol. 10. Parisiis. 1771. Tom. 2. p. 456. seq.
Werlhoff, De febribus. 8.° Venetiis. 1764.
Vogel, Manuale Prax. Medicin. 8.° vol. 3. Stendal. 1790. Tom. I. pag. 30. seq.

CAP. II. SYNOCHA.

SYMPTOMATA.

Synocha plerumque sine prodromis subito aegrum infestat. Ab horrore perquam insigni sed brevi incipit; calore intenso, sicco, totum corpus infestante, vultu rubro turgente, cephalalgia, lumborum dorsique dolore, oculorum rubedine, lucis impatientia, sequentibus: cutis arida, lingua aspera, sicca, fusca vel nigra et crusta obducta; sitis magna potionibus non estinguenda; anorexia, vomitus, anxietas, inquietudo et jactatio molesta urgent; olfactus evadit imminutus, respiratio difficilis, alvus plerumque astricta, urina rubra, parca, vel flammea; transpiratio fere nulla, et sanguinis e naribus stillatio; susurrus continuus aurium; tussis; pulsus frequens validus et durus; sensorii functiones aliquando sunt parum mutatae, nonnunquam vigiliae, delirium; sanguis detractus fortiter concrescens, crusta albida vel subflava est obductus. Febris ista vel vehementer continuat, vel tempore valde brevi per copiosos sudores, per urinam turbidam sedimentum lateritium de-

ponentem, aut denique per copiosum sanguinis fluxum e naribus restitutum aut ex utero vel ex ano, septima vel nona morbi die solvitur.

CAUSAE.

Quaecumque cordis et arteriarum vim et contractiones adaugent, synocham seu febrim inflammatoriam excitare valent. Corporis exercitia nimis protracta; evacuationes consuetae subito suppressae; perfrigeratio calefacto corpore; labor intensus corporis animique; insolatio; ira; vini vel liquoris fermentati magna ingurgitatio; balnea nimis calida; eruptiones subito repulsae; animi pathemata violenta; contentio animi; vehementior ac diuturnus dolor; vigiliae protractae; laesiones variae; diaeta valde spirituosa vel helluatio. Corripit frequentius adolescentes in vigore aetatis, rusticos, sanguineos, laute viventes, athleticos omnesque summa irritabilitate donatos. Omnibus grassatur anni temporibus, sed praecipue veris et aestatis initio, quia homines praecedente frigore sensiliores facti sunt.

DIAGNOSIS.

Ab typho distinguitur pulsu valido et forti, lingua arida et nigra, siti et calore magno, doloribus intensis, sensorii functionibus parum mutatis et praegressa aegri vita.

PROGNOSIS.

Prognosis non tam infausta et dubia in hoc morbo quam in typho. Quo fortiores rigores, eo intensior febris. Morbus circa diem septimum, haemorragia, sudore, urina sedimentum deponente, rarius alvi fluxu, fauste frequenter solvitur. Quo minus rubent oculi et facies, quo acies oculorum minus obtusa est, quo mitiora sunt symptomata circa ventriculum et intestina, eo minus periculi adest. Respiratio valde laboriosa, dolor capitis immanis cum delirio feroci, abdominis viscerumque affectiones, cutis ante diem septimum flavedo, sitis soluta manente linguae ariditate, urina rubra in pallidum colorem mutata, vox clangosa, vigiliae protractae, frigus exteriorum quando interiora uruntur, sudor circa frontem vel pectus, infausta sunt signa.

CURA.

Venae sectio generalis pluries repetita, et si urgeat capitis dolor hirudines temporibus vel naribus sunt admovendae; caveat medicus ne pulsu nimia repletione oppresso decipiatur, qui enim venae sectione fortior fit; cathartica; enemata laxantia; antimonium tartarisatum portiunculis ad nauseam ciendum; sales medii; diluentia tepida acidis vel nitro adjunctis; corporis animique quies; regimen antiphlogisticum; abstinentia, quamdiu vires supererunt; et cibum levissimum sorbile, si deficiant: si delirium, thoracis vel abdominis affectiones urgeant, sanguinis missione, laxantibus, vesicatoriis et pediluviis sunt amovendae; an Barites muriata? An Digitalis? An oleum essentiale, vel aqua distillata Lauro-cerasi? Atmosphaera quae aegrotantem ambit continuo renovare oportet, ut puritate excellat et frigidiuscula sit, praecipue in calidis regionibus et tempestatibus, evitatis substantiis calefacentibus et pulsum concitantibus. Convalescentia post synocham facilior est, et promptior virium restitutio; dietae

nutrientis et vini indicatio haud urgens, ne in recidivam incidat aeger.

BURSERIUS, Instit. medic. sup. cit. §. 234.
FORDYCE, A new inquiry into the causes symptom. ando cure of putrid and inflamatory fevers. 8.° Lond. 1773.
FRANK, Epitome de curandis hominum morbis. Sup. cit. Lib. I. ord. II. §. 114 et seq.
GRANT, Ricerche sulle febbri. Sup. cit.
HARRER, Diss. de febril. inflammat. earumque phoenomen: Mannh. 1769.
LIEUTEAUD, Synopsis universae praxis. 8.° Paris 1765.
MORTON, Exercitat. de febribus inflammatoriis Universalibus. Vid. Opera Omnia. 4.° Genevae 1696. T. 2.° p. 1. et seq.
REHFELD, Diss. de Sinocha imputri vera. 8. Art. 1634.
REIL, Della conoscenza delle febbri ec. sup. cit. §. 13 seq.
SELLE, Rudim. Pyretolog. 8.° Amstelod. 1787. p. 106.
STOLL, Aphorismi de febribus. 8.° Vindobonae 1787.

CAP. III. TYPHUS MITIOR.

SYMPTOMATA.

Sub initio signa sunt, debilitas, languor, lassitudo inusitata, appetitus prostratus, reditus frequentes frigoris levis et caloris alternatim abnormes; animi dejectio cum suspiriis reiteratis; insomnia; gemitus involuntarii; animi terror; inusitata post motum pigritia. Elapsis diebus ali-

quot, aeger, capitis dolore vel vertigine, frigorisque sensu praesertim occipitis, nausea magnaque virium prostratione tentatur; cibos fastidit et aversatur, atque interdum pituitam nullius saporis vel quaedam bile admixta per os reddit; somno parum recreatus et refectus expergiscitur ad solita munera invalidus; urina vel parum mutata vel pallida est, quae mucidae cerevisiae speciem exhibet, neque sedimentum deponit; capitis gravedine, vertigine, et dolore praesertim occipitis vexatur aeger; calor parum auctus est, sitis nulla urget, lingua initio humida est crustaque alba obducta, postea sicca, rubra et aliqua in parte fissa; vultus pallidus atque depressus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; respiratio laboriosa cum constrictionis circa praecordia sensu et sensorii functiones plurimum turbatae comitantur; pro musculorum debilitate, aeger irrequietus, corporis subinde situm variat; dolet dorsum; dolent lumbi; arteriae solito incitatius moventur. Haec symptomata vesperescente die magis ingravescunt. Nox plerumque insomnis est, vel somnus, uti obrepserit, brevi discutitur, ita ut aegrum

non reficiat, sed vires dissipet. Sudor immodicus vel diarrhoea, tremit lingua, extremitates frigent, ungues livent, adest tendinum subsultus et morbus gravior fit.

CAUSAE.

Causae sunt vel quibus directe corpus debilitatur, uti affectus animi contristantes; vita sedentaria; ignavia; evacuationes nimiae; sanguinis aut alvi profluvia; venus immodica; contagium; atmosphera calida et humida. Vel quae justo vehementius diutiusve stimulando, vires corporis dissipant et exhauriunt; exercitatio vehemens; magna caloris vis; ebrietas; animus furore vel ira percitus, vel gaudio, amore, aut religione perfusus; mens studiis nimis devincta; pervigilia nocturna.

DIAGNOSIS.

Ab typho graviori, lento ejus impetu, rigoribus minus intensis, siti nulla, et omnibus signis levioribus, distinguitur. A Synocho haud facile dignosci potest; tum praesertim, hanc febrim illis dumtaxat va-

rietatem esse, inter medicos vel peritissimos consentiatur.

PROGNOSIS.

Hic morbus et signis, et eventu varius est. Nonnunquam septem diebus vel tollit hominem, vel ipse finitur, imo interdum multo citius; plerumque autem dies fere quindecim aut viginti porrigitur, et haud raro, post tres amplius hebdomadas, in sanitatem desinit. Symptomata bona sunt, lingua, cutisque humidae; pulsus tardior et magis validus post diaphoresim lenem, vel cardiacorum administrationem; pustulae circa labia, naresque; eruptio miliaris sine sudore profuso; surditas; salivatio libera sine aphtis; cibi cupiditas; somnus placidus, qui vires recreat et reficit. Bonum quoque est, ubi mens animi non multum perturbatur, neque vires fatiscunt; ubi urina sit turbida; ubi venter reddit mollia, figurata, atque eodem fere tempore, quo secunda valetudine assuevit modoque convenientia his, quae assumuntur. Contra, gravis morbi periculum est; ubi aeger suae mentis non est; ubi nocturna vigilia vexa-

tur. Mala sunt, delirium cito comparens et perdurans; evacuationes profusae pulsu debili stipatae; subsultus tendinum, manuum linguaeque tremor; venatus floccorum volitantium; pervigilium; caecitas; coma; deglutitio impedita praecipue singultu comitante; petechiae.

CURA.

Emetica praecipue sub morbi initium; antimonialia caeteris hic praeferenda sunt vomitoriis, si vero diarrhoea aegrotans vexatur, ipecacuanhae radix in stomacum securius operatur; primae viae laxantibus et clismatibus emollientibus sunt deplendae; diaeta nutriens foret; si vires id exigant, juscula et parva vini portio sunt porrigenda; cardiaca praecipue vinum et opium portiunculis tertia quaque hora repetita alternatim; epispastica parva repetita, pediluvia, crurum fotus; corporis aqua tepida et aceto lavatio, et postea ejus perexiccatio; gas oxygenium; remissione comparente vel lingua cutique humidis, cinchona libere est adhibenda; remedium hoc cum aromaticis, serpentaria Virginiana, Vale-

riana, cinnamomo, praecipue vero cum vino, efficaciam prodit. Si magnae adsunt nervorum turbae, camphora, moschus, aether vitriolicus, volatile alcalinum utiliter opponuntur. Nuper in pyrexiae exacerbatione, quae die advesperascente, vultus erubescentia, siti et inquietudine auctis, notatur, aquae frigidae corpori nudato affusio summo cum fructu usurpata fuit, praecipue si corpus sit praeter naturam calidum; aqua frigida libere est haurienda: an capsici grana pauca, secunda quaque hora vel saepius in forma pilulae?

CAP. IV. TYPHUS GRAVIOR

SYMPTOMATA.

Rigores sub initium magis sunt vehementes quam in typho mitiori, quos excipiunt calor intensus, mordax et remittens ac pulsus durus, parvus, frequens, debilis, plerumque abnormis; pulsatio arteriarum carotidum et temporum; summa virium prostratio et imbecillitas; capitis temporumque dolor; animus anxius, dejectus et pessima

quaevis ominans; nausea, vomitus bilis subviridis vel nigri coloris comitantur: oculi inflammantur et circa orbitae fundum dolent; vultus est inflatus et cadaverosus; dorsum, artus cordisque scrobiculus dolent; magna praecordiorum gravitas est; cutis arida est cum ingrato calore pungenti; sitis inexplebilis cum oris sapore ingrato vexat; lingua primo alba, postea arida nigraque; dentes labiaque tenaci sorde oblinuntur, et lineis fuscis, quibus interjacent sulci, variantur, et ubi magna vis febris urget, interarescunt, nigricant et incisuris longitudinalibus exasperantur; vertigo, aurium tinnitus, respiratio laboriosa suspiriis interrupta urgent. Urina in quibusdam rubra est et turbida, at raro tamen aliquid deponit; in aliis limpida est et pallida cerevisiae tenui haud absimilis, et in ea furfuracea quaedam subsidunt; morbo aliquandiu protracto, subfusca fit, et foeditatem odoris pejorem, quam ex consuetudine, habet. Mentis suae aeger compos non est, secum mussitat, aut alloquentibus deliria fatur; lingua intremiscit; intremiscunt manus; vires labescunt et fugiunt: redundat dissolutus stomachus; lingua ore prolata, aegre reponi-

tur, atque, prae ejus ariditate, voces fiunt hiulcae et asperae, ut quid dicant, vix intelligi possit; morbo ingravescente delirium vel potius stupor et humorum veluti putredinis signa accedunt, qualia sunt petechiae, maculae, miliariae, vibices, aphtae circa os et fauces nigri coloris cum deglutitione impedita; urina et alia excreta sanguine tinguntur; faeces sunt immodice foetidae; haemorragiae gingivis et intestinis profluunt.

Petechiae, maculae sunt lividae, parvae, instar morsus pulicum, quae quarto fere quintove ab initio febris, at interdum non ante quartum decimum diem apparent; plerumque rubicundae sunt; complures ferme in unam confluunt, neque extant sic, ut cuticulam tactu asperam reddant; at nonnunquam pallidae sunt, sufuscae, aut lividae, nec visu semper faciles. Numerosissimae sunt in dorso et pectore, rariores in extremis superioribus et inferioribus, rarissimae in facie; calore multiplicantur; sudore profuso evanescunt. His succedunt papulae numerosissimae, quae ex milii similitudine, miliaria nominantur. Sub hujus morbi finem, summa cutis, veluti in eam flagello saeviretur, lineis lividis aut

purpureis, quas *vibices* appellant medici, variatur. Fauces aphtis deturpantur, quae non solum gravem excitant dolorem, sed et summa deglutiendi difficultate comitantur. Alvus tandem ipsa aphtis afficitur, atque infra transmittit cruenta quaedam, his similia, quae a dysentericis dejiciuntur. Viribus tandem dissipatis ineluctabile venit tempus, quo omnia ruunt in pejus; foetet frigidusque, quo manat cutis, sudor; ungues pallent et livent; arteriae ictibus formicantibus, quos vix, imo ne vix quidem numerare potest medicus, moventur; nervi maxime manuum et pedum singultant; diutius deglutire nequit aeger, nequit audire et videre; legit in veste floccos fimbriasque diducit, vel in adjuncto pariete, si qua minuta eminent vel muscas volitantes carpit, vel offusas oculis tenebras videre videtur; faeces et urina aufugiunt voluntatis injussu; frigent extrema membra; friget dein caeterum corpus, et mors scenam claudit.

CAUSAE.

Victus pravus et putridus; aer humidus calidusque; debilitas virium; inedia; frigus

corpori humefacto, vel inaequaliter vestito admotum; nimia carnium vel piscium ingurgitatio sine pane; diaeta tenuis, vel ex salitis et putrefactis carnibus aquisque putrescentibus, aut ex frugibus pluviis vel horreis humidis corruptis; animi moerores; sanguinis aut alvi profusio; effluvia ab aquarum inundationibus putrescentibus, vel paludibus prope exsiccatis, vel animalibus et vegetabilibus putrefactis; aer nosocomiorum, carcerum, vel navium stagnans et sordibus inquinatus; contagium; evacuationes immodicae; venus immoderata.

DIAGNOSIS.

Historia supra tradita, ad hanc febrem a typho mitiori et a synocha distinguendam, sufficit.

PROGNOSIS.

Color faecum luteus vel fuscus, diaphoresis lenis, quando corpus aequaliter totum leni sudore manat; aut ubi cutis aequaliter tota et lingua humescunt; parotidum, axillarum, vel inguinum glandularum suppuratio; eruptiones circa labia narésque, sur-

ditas; petechiarum color nitidus; urina sedimentum deponens et turbida; gravitas auditus inter bona indicia sunt. In portu navigat, cujus arteriae ordinate moventur; cujus vultus et oculi naturales sunt; qui clara et distincta voce loquitur; qui nullo adjuvante, se quoties velit ex uno in alterum latus potest movere; qui cibum appetit, qui somnum recreantem capit. Sitis nulla; petechiae nigrae magna copia vel eorum recessio subita cum pulsu valde debili; aphtae lividae; faucium inflammatio; oculi admodum inflammati qui in eodem obtutu haerent; mentis alienatio perpetua et continua vigilia; nausea et frequens vomendi conatus; respiratio valde difficilis cum narium pinnarum motu magno; magna debilitas; dejectiones liquidae abdomine tenso, vel quae, voluntatis injussu, excernuntur; si lingua intremiscit et oculi lumen haud percipiunt; decubitus in dorsum, membris extensis; sudores profusi; urina foetida; haemorrhagiae; coma altum; tendinum subsultus; odor corporis cadaverosus; liquida saniosa pessimi odoris, aegro nesciente, dejecta, infausta sunt symptomata.

CURA.

Emeticum sub morbi initium est propinandum, et paucis horis elapsis calomelani grana tria vel quatuor cum conserva vel mucilagine commixta; laxantia indies ut rhabarbarum, aut enemata ad intestina deplenda materia putrida vel putrescenti quae jam in corpore subest. Provideatur ne fatiscant vires, antisepticis, cardiacis qualia vinum, opium, cinchona, moschus libere, aether, camphora, castoreum; gas acidum carbonicum in ventriculum acceptum tum et per anum injectum utillimum erit. Sitim ingentem sedant refrigerantia, qualia acida mineralia, praecipue acidum sulphuricum aqua dilutum; sales medii; succus malorum aureorum vel citrorum. Ad calorem temperandum juvant aer purus et frigidulus, per apertas fenestras intromissus; lavatio frigida; mundities summa; spe subinde injecta aegri animum tollere. Morbo decedente seu debilitate magna superveniente epispastica parva repetita: diarrhoea laxantibus acidis et opiatis sublevanda: delirium pediluviis, crurum fotu et epispasticis. Hac in febre

contagiosa plurimum proderit, cubiculum et supellectiles acidis seu vegetabilibus vel mineralibus aqua dilutis lavare, vel easdem sive per se, sive oxygenatorum vaporibus suffire. Qua ratione acidorum vel nitrici vel muriatici vapores diffundere in cubiculis juvat.

Bowles, Diss. de typho. Glasgow. 1784.
Campbell, on the typhus or the low contagious fever. Oxford. 1795.
Ciera, De febri Nosocomiali 8.° Mediolani 1779.
Frank, Epitom. sup. cit.
—— Delet. Opuscul. 8. Ticin. 1788. vol. 5. pag. 261-303.
Soelling, Diss. de typho. In Brera Sylloge Opusc. Vol. 4.
Huxam, De aere et morb. epidem. 8.° Vol. 2. Venet. 1764.
Mertens, Observ. de febrib. putrid. 8.° vol. 3. Ticin. 1791.
Pringle, Malattie dell' armata 4.° Venezia 1762.
Rasori, Storia della febbre epidemica di Genova ec. 8.° Milan. 1813.
Sarcone, Storia dei morbi osservati in Napoli ec. vol. 3. Venez. 1802. Ved. Tom. 3. §. 738. p. 166. e seg.
Vacca Berlinghieri, Sulle febbri dette putride. 8. Lucca 1781.

CAP. V. SYNOCHUS.

CHARACTER.

Morbus contagiosus, febris ex synocha et typho composita, initio synocha, progressu et versus finem typhus.

CURA.

Hujus morbi medela secundum ejus typum est dirigenda, sed venae sectio summa cum cautela est peragenda.

CAP. VI. FEBRIS REMITTENS.

CHARACTER.

Febris quae certis vel incertis temporibus remissionem habet, remittens dicitur. Non sufficit lenior et vaga febris intensio ad hujus morbi diagnosim, sed totam paroxysmi evolutionem cognoscere oportet. Prout exacerbatio redit omni die, omni tertia die, aut omni quarta die, ita continua remittens quotidiana, tertiana, quartana dicitur. Continuae remittentes quartanae, sunt rarae, crebriores tertianae, quotidianae vero valde frequentes. Si exacerbatio sit quotidiana, una die tamen gravior altera levior, dicitur hemitritaeus, seu semitertiana.

SYMPTOMATA.

Duo sunt remittentis stadia, accessionis unum, remissionis alterum. Primum incipit

oscitatione, pandiculatione, capitis levitate, frigore et calore alternatim; sequitur febris et calor continuus; nonnunquam delirium cum primo insultu; sitis, vomitus bilis; dolor capitis, dorsi et articulorum excruciant; regio ventriculi dolet et tumet; sanguis modo densus, modo dissolutus; lingua albida et humida, ita ut ex illa sordities digito desumi possit; Vomendi cupiditas; anima foetida est; continuus vomendi conatus, vomitus pituitosus vel porraceus; sensus molestiae circa praecordia; extremitates frigidae, inquietudo et anxietas; artuum dolores et capitis; vertigo, oculorum caligo; genuum gravitas; lumborum dolor; ventris distensio, color cutis et oculorum ictericus; pulsus nunc durus, nunc frequens, raro plenus. Parvo plerumque sudore antecedente, febris remittit quarto, quinto, sexto, septimo, vel octavo die, quem rarissime praetergreditur remissio; cedunt omnia symptomata, sed elapsis aliquot horis, vespere plerumque, redintegratur febris vis, antecedente fere frigore vel nullo.

CAUSAE.

Similes sed longe fortiores habet causas ac febris intermittens.

PROGNOSIS.

Incertus est hujus febris exitus, nunquam fere periculo vacat. Quo magis intermittenti appropinquat vel a febre immunior in remissione, eo melius, quo magis febri continuae, quo brevior remissio et violentior paroxysmus, eo periculosius. Urina antea rubra, tenuis facta, infaustum est omen. Si remittens in continuam desinit, est periculi plena. Si functiones mentis sunt affectae et phoenomena nimis urgent, mors subest. Solvitur haec febris sexto, septimo vel decimo quarto die vel sudore copioso, salivatione, ictero, vel sanguinis e naribus profluvio. Cessante morbo remanent aliquando omnia illa mala, quae intermittentes sequuntur.

CURA.

Medendi ratio eadem est ac in febribus intermittentibus.

CAP. VII. FEBRES PERNICIOSAE INTERMITTENTES.

CHARACTER.

Febres intermittentes quae symptomatibus suis aut palam, aut insidiose vitae periculum afferunt, *Intermittentes Perniciosae* dicuntur. Quae vero sine tanta symptomatum pernicie vel alterius faciem morbi assumunt, *Larvatas Intermittentes* vocamus. Omnes hae febres nunc evidenter intermittunt, nunc vero continuitate quadam obscurantur, tunc *Intermittentes Subcontinuae* nuncupantur.

SYMPTOMATA.

Febris perniciosae signa et symptomata tam varia sunt et diversa, ut omnium acutissimorum morborum aspectum induant. Primum febris perniciosae signum ipse est paroxysmus. Si quis statim morbo quocumque corripitur, qui elapsa una vel altera hora solvitur, suspicari debet Medi-

eus, morbum denuo rediturum, et ad febres perniciosas spectare. Secundum est morbi recursus dato tempore. Tertium signum est morborum eorundem periodicorum constitutio. Quartum est urina cum sedimento lateritio, praecipue si febris periodice recurrens nullum certum et determinatum typum observat, sed vago incertoque modo recurrit. Varia sunt perniciosarum febrium symptomata, in aliis enim soporem letargicum et apoplexiam producunt, quibus spectant febris perniciosa comatosa, lethargica, carotica, apopletica; in aliis motus convulsivos epilepticos, vel tusses, et asthmata molestissima excitant, quibus sunt reducendae febres perniciosae catalepticae, epilepticae, asthmaticae, catarrhosae; nunc syncope vel vehementi cardialgia stipantur, unde febris cardiaca, syncopalis; nunc vero vomitus, alvi fluxus, vel sudores praecoces frigidos colliquativos vel algores comitantur, unde febris dysenterica, algida, diaphoretica, et aliae. Haec omnia inaspectate et varie oriuntur, decurrunt et recedunt, leve habent aliquando initium, et aliquando grave; nonnullae subito sub gravissimi morbi spe-

cie apparent, et nisi cito succurratur, aegrotos jugulant; aliae vero simplicis tertianae vel quartanae more incipiunt, sed post aliquot mitiores paroxysmos ita augentur ut aegrum vel statim trucident vel in maximum vitae periculum conjiciant. Diversa sunt symptomata, quibus statim primo accessu cum vitae periculo apparent, talia sunt, si aeger in principio paroxysmi sit debilis, si praeter naturam sopitus aut cardialgia afficiatur, si urinae crassae, coloris intensi, subfusci, lixivii nigri, valde foetentes, cum frequenti mingendi cupidine et dysuria vel stranguria prodeunt; si dolores et tensiones hypocondriorum adsunt; si summa est virium prostratio; si lipothymiae frequentes, vomitus vel diarrhoea exhauriens; si motus convulsivi, aut musculorum hinc inde stupor, vel contractio involuntaria; si pulsus sunt irregulares, lenti, aut exiles; si aegrotantis facies decomponitur. Quae quidem phoenomena, utut in quibusdam speciebus frequenter occurrant, haud semper observantur. Sanissimi interdum subito absque ullo intermittentis vel remittentis praecedente periodo a febre perniciosa corripiuntur, ita ut peracto pa-

roxysmo nullam omnino molestiam, nullum stuporem, cardialgiam, diarrhoeam aegri conquerantur; sana respiratione, vigentibus viribus et appetitu, ut non solum e lecto surgant, sed etiam negotia sua commode peragant, secundo vero vel tertio paroxysmo mortem oppetunt inexpectatam.

CAUSAE.

Causae eaedem sunt quam quae intermittentem simplicem producunt, et symptomatum differentiae tam a causarum intensitate, quam a varia partis, quam hae afficiunt, reactione, pendent. Excitantes causae innumerae ferme sunt; atmospherae humiditas, praesertim in locis paludosis et aquis stagnantibus; singularis aeris constitutio, transpiratio suppressa; animi pathemata; febris intermittens; nimia corporis exercitatio et labor; tempestates humidae comitante magno solis calore; fruges corruptae, vel carnes putrefactae; habitationes depressae et humidae; humorum pravorum colluvies in primis viis.

CURA.

Exitiales febres remedium poscunt minime fallax. Summum hic est remedium Cortex Peruvianus, qui mox in primo intervallo larga dosi adhibendus est; exhiberi potest vel simpliciter redactus in pulverem, qua forma efficaciam promptissime ostendit; aliquo in casu vino generoso immixtus, praecipue si pulvis teneriori ventriculo haud conveniat. Vehementior febris non cedit nisi uncia vel drachmis minimum sex, durante intermissione vel remissione conspicua. Debellata febri, continuus hujus corticis usus per quatuordecim dies, vel per plures septimanas recidivam optime arcet.

Alibert, Diss. sur les Fievres pernicieuses etc. 2. edit. 8.° Paris. an. X.

Aurivill, Diss. de febre intermitt. maligna in Opuscul. Baldinger vol. I.

Casimir Medicus, Geschichte periodischer Krankheim.

Comparetti, Riscontri Medici delle febbri Larvate periodiche perniciose ec. 8. Padova 1795.

Morton, Oper. omnia. 4.° Genev. 1696.

Raymond, Diss. de febri intermitt. Malign. in Balding. Opuscul. vol. I.

Santarelli, Sulla febbre perniciosa dominante nello Stato Romano. 8.° Osimo 1808.

Senac, De recond. febr. natura. 8.° Amstelod. 1.

Torti, Therapeuticae specialis. 4.° Mutinae 1712.

CAP. VIII. FEBRIS HECTICA.

CHARACTER.

Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia matutina; plerumque cum sudoribus nocturnis et urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente.

SYMPTOMATA.

Initio febres lentae nec non interdum in progressu plerumque lenes et parvi momenti sunt, sic ut aeger se morbo laborare haud credat, obambulat et cibos capit cum appetitu. Tractu temporis debilitatem insolitam oppressionesque leves percipit, defatigatur statim si scalas ascendit; sudores nonnunquam minores; manus nunc frigidae et humidae, nunc siccae et urentes; pulsus debilis, parvus et frequens, sed sumpto cibo fortior et plenior, interdum quoque inaequalis, rarius fere non alteratus tangitur. Die quovis exacerbationes utplurimum binae, una post prandium, al-

tera horis vespertinis nocturnisque ingruunt; valde irritabilis aeger in iram pronus est. Sitis magna, genarum post prandium rubor; in primis manuum volae, pedumque plantae urunt; urina rubra et oleosa quadam superficie cooperta; cor palpitat fortius; respiratio angustior fit; os collumque siccescunt; aeger inquietus est et anxius. Post somnum brevem sudor, praecipue e pectore, collo et capite erumpit. Appetitus nonnunquam adhuc bonus, immo solito major vigetque etiam morbo ad extrema redacto; interdum res insolitas appetit avide; lingua utplurimum pura humidaque; modo sicca, neque raro colore praedita roseo conspicitur; cutis asperior et pergamenae instar dura simul invenitur. Sub hujus morbi progressu oculi suffunduntur; venter contrahitur; summa adest virium dejectio; somnus nunquam refocillans; facies livida, plumbea, icterica; carnium flacciditas; cutis corrugatur, flavescit, et relaxatur; nasus acuminatur; vomitus varius foetidus, acris; sudor colliquativus; pulsus continue minor, debilior, celeriorque evadit. Morbo ingravescente virium prostratio magis crescit; capilli de-

fluunt; lypothymiae sequuntur, et locomotio difficilis est; pedes manusque intumescunt; diarrhoea profusa cum elatis hypocondriis. Os faucesque haud raro aphthis deturpantur; visus duplicatus, unde summe extenuati tandem pereunt.

CAUSAE.

Corpora longo morbo vitiata in hunc morbum tandem decidunt. Febres cujuscunque indolis imperfecte curatae aliquando febris hecticae causae evadunt. Animi pathemata diuturna, praecipue moestitia, assiduae curae et studium nimis intentum; excretiones profusae, veluti nimius alvi fluxus, sudor immanis, urina copiosior, salivae rejectio immodica, lactatio nimis protracta, fluor albus, diabetes, haemorrhagiae; victus boni salubrisque defectus; diuturna ciborum abstinentia; medicamenta nimis acria, uti praeparationes mercuriales; exanthemata retropulsa vel sudores consueti suppressi; organi unius pluriumve, glandularum mesentericarum, vasorum lacteorum, pulmonum, hepatis, pylori, lienis etc. obstructiones graviores, aut scirrhi, vel

exulceratio; vermes uti in infantibus et dentitio; calculi fellei renalesque; hydrops, rachitis; catarrhi diuturni; hypocondriasis, hysterismus, et gravis dolor, facillime hecticas febres inducunt.

DIAGNOSIS.

Lento suo cursu ab aliis febribus facile dignoscetur.

PROGNOSIS.

Febris hectica nunquam periculo caret, utut subdole incedat tardeque increscat. Attamen pro causarum, sedis morbi, ejusque durationis diversitate, nec non pro aegrotantis constitutione maxime differt. Si naturae vires haud sunt nimium exhaustae; si ciborum digestio bene se habet; si causae adsunt apparentes quae removeri possunt, si subjectum aetate adhuc floret, sanitatis spem concipere licet. Si vires vero nimium languent, animus frequenter deficit, si crura intumescunt, et maculae in cute quin et ulcera erumpunt; si alvus liquida reddit, atque stomachus nec mollissima juscula retinet, infausta sunt signa.

CURA.

Eadem est ac in Phtisi, et alio in loco tractabitur.

ORDO II. PHLEGMASIAE.

CHARACTER.

Febris synocha; phlogosis, vel gravis inflammatio, vel dolor topicus, simul laesa partis internae functione; sanguis missus et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens. Quoniam inflammationis phoenomena, terminationes et curatio sunt diversa pro varietate partis affectae, eamdem in quinque species dividere possumus. 1. Telae reticulatae vasorumque inflammatio, *Phlegmone*. 2. Corporis mucosi, quod cuticulae subjacet, *Erythema* idest et *Erysipelas*. 3. Membranarum mucosarum inflammatio. 4. Membranarum diaphanarum, sive serum secernentium. 5. Musculorum, sive fibrae motricis inflammatio.

CAP. I. PHLEGMONE.

CHARACTER.

Synocha, rubore vivido, tumore fere circumscripto, in fastigium plerumque elevato, saepe in apostema abeunte; dolore saepe pulsatili. Pulsus citatus, sitis magna; cibi fastidium, insomnia, rigores et urina coloris rubicondioris comitari solent. Terminatur resolutione, suppuratione, exudatione, duritie et gangraena. Quando resolutione terminatur, decedit inflammatio, partis textura integra manente; rubor cum dolore et calore gradatim decrescunt, locus affectus sudore scatet, febris decrescit: hujus causae sunt, exhalatio aucta in telam cellulosam partis morbi sedi proximae, vel exinanitio aliqua sive sponte sive arte fiat; qualia sunt haemorragia, sudor universus, tepidus ac fluidus, diarrhoea, urina copiosa sedimentum lateritium deponens, quae omnia vasorum actionem minuunt et sanguinis impetum tollunt. Si inflammatio non resolvitur ante quartum vel quintum diem, superficies arida, calida et tensa evadit et

augescunt symptomata; mox vero cum orripilatione si pyrexia mitior fit; si arteriarum pulsus molliores et pleniores evadunt; si dolor pulsatilis in parte inflammata sentiatur; si tumor ad apicem elevatur cum pulsatione et rigoribus frequentibus, tunc sequi suppurationem licet colligere. Suppuratione peracta, novum efformatur liquidum albicans *pus* appellatum; quo formato recedit illico dolor, et rubor, tumor albescens, mollis, fluctuans et pruriens facile percipitur. E contra si malum internam corporis partem occupat, remittente aut cessante dolore, anxietate ac ponderis sensu in parte affecta, febre hectica et sudoribus loco propriis, suppurationem adesse colligimus. Succedit nonnunquam inflammationi colluvies serosa aut lymphatica; particulae secretae modo a vasis transudant in superficiem, quam glutinosus protinus latex obducit, et nova generantur vascula inflammatam partem cum vicinis conglutinantia; modo colluvies serosa in partibus inflammatis congeritur; nonnunquam vero partis inflammatae moles augetur, unde insolitus partium tumor oritur. Haec inflammationis successio transudatio dicitur. Si in partibus inflammatis praecipue

glandulosis tumor remanet durus, immobilis, inaequalis, sine dolore, cessante inflammatione, tunc oritur scirrhus. Expectanda est gangraena, rubedine, calore, dolore tensioneque sublatis, et gangraena formata, pars affecta nigrum lividumque colorem induit, cutis relaxatur, vestigium prementis digiti retinet, omni fere sensibilitate privatur et livescit; insolitus quidam torpor et stupor membrum tenet, ita ut tactum vel acu punctum nullum sentiat dolorem; elevantur pustulae icorem subflavum continentes et in basi nigrescentes, quae tandem in foetidam graveolentemque saniem difluunt; serpit gangraena omniaque vicina depascit. Si internae partes gangraena corripiuntur, post summum dolorem febremque validissimam, subitanea symptomatum cessatio aut remissio adparet; aeger, dum bene se habere dicit, viribus deficitur, ardente siti vexatur et urinam mittit crassam et foetidam; oriuntur interdum horrores, febris lenta, sudores colliquativi et frigidi; pulsus parvus fit et debilis, quae omnia mortem celerrime adferunt.

CAUSAE.

Quaecumque vasa arteriosa nimis irritant aut stimulant, ut earum actio nervorumque sensibilitas plurimum inaequabiliter augeantur, phlegmonem excitant. Stimuli, qui inflammationes excitant, sunt, materiae acris vel stimulantis parti applicatio, irritatio, vulnera, contusio, luxatio, fractura, ligatura; corpora extranea in corpore sita, venena; frigus, radii solares, liquores fermentati; motus vehemens, contagiorum quorundam proprietas vasa incitando et functiones turbando, medicamenta et omnes causae quae synocham inducunt. Aetate florentes, et praecipue qui dieta pleniori et stimulanti nimis utuntur, vel qui constitutione vegeta plethorica gaudent, phlegmasiis saepissime subjacent.

PROGNOSIS.

Prognosis plurimum differt secundum loca affecta. Periculum majus est si partes ad vitam inservientes afficiantur. Si inflammatio partem corporis externam occupet et

causae excitantes leves fuerint, si inflammatio haud plurimum diffundatur, neque profundius sedeat, si pyrexia et alia symptomata non sint gravia, si resolutionis signa primis morbi diebus se ostendant, aut si remediis adhibitis mitescant, eventum faustum est expectandum. Contra, si levissima gangraenae signa appareant, caute judicandum, gangraena enim exitium semper affert. Periculum summum ex tabo putrido absorto, et in sanguinis massam delato semper imminet. Aegri constitutioni habenda est etiam ratio; in juvene forti et vegeto felix exitus est sperandus; in senibus vero, in cacheticis et diuturno morbo laxatis nihil boni augurandum est.

CURA.

Regimen antiphlogisticum in omni fere inflammatione gravi sedulo adhibendum est. Cubiculi aer frigidulus sit, nimiam enim systematis actionem minuit. Ut promoveatur resolutio, juvat potissimum venae sectio perite adhibita secundum aegri vires, aetatem, sexum, anni tempestatem et symptomatum violentiam; hyrudines parti affectae; cathar-

tica et praesertim tamarindi, oleum ricini, calomelas, cristalli tartari, potassa tartarisata, soda vitriolata, magnesia etc.; refrigerantia; diaphoretica lenia ex antimonio praeparata; pulvis ipecacuanhae compositae; emetica ad nauseam tantum ciendam; discutientia externa, ut cerussa acetata, acetum, etc.; pediluvia et fomentationes. Suppuratio, cataplasmatibus emollientibus et fomentis est promovenda. Gangraena, tonicis et antisepticis est amovenda, quorum optima sunt vinum, cinchona, opium; an moschus et ammoniaca praeparata largis dosibus? Si effusio inciderit, remedia quae vasorum absorbentium actionem promovent, qualia sunt hydrargyri praeparationes. Si scirrho terminatur inflammatio, remedia quae resolutioni favent, hydrargyrum, cicuta, atropa belladona; an barites muriata? An extractum aconiti napelli?

Barclay, Diss. de inflammatione. 8.° Edinb. 1784.
Bertrandi, Opere Chirurgiche. 8.° vol. 10. Torino 1786. T. I. p. 29. et seq.
Brambilla, De Phlegmone. 8.° Viennae 1773.
Campbell, Diss. de phlegmone. 8.° Edinb. 1771.
Monteggia, Istituz. Chirurg. 8.° Milano 1813. Vol. I. Cap. V. §. 304-342.
Planer, Methodus curandi phlegmones. 4.° Tubingae 1684.

Quarin, Della maniera di medicar le febbri e le infiammazioni. 8.° vol. 2. Venez. 1796.
Richter, Elementi di Chirurgia. 8.° Pavia 1794. vol. I. sez. I. cap. I.
Winter, Diss. de inflammatione. 8.° Viennae 1767.

CAP. II. ERYTHEMA.

SYMPTOMATA.

In hoc morbo tumor diffusus et parum elevatus est; partis affectae splendor et color rubicundus cupro saepe est similis, potius quam rubor vividus, digito premente, statim evanescit, sed cito redit; hunc colorem nulla regularis circumscriptio finit, sed huc et illuc serpit et semper fere ad vicinas partes tendit. Dolor similis est ei quem ignis corpori proprior excitat; tumor diffusus parumque elevatus existit. Liquor subflavus infra cuticulam effusus hanc in vesiculas modo parvas modo majores inflat; liquore evacuato, cutis superficies colorem lividum saepe exhibet. Cuticula tandem in squamulas mutata, gangraena aliquando, suppuratio nunquam, nisi existente phlegmone, superveniunt. Haec est sola

cutis affectio; quando afficitur totum systema, *Erysipelas* appellatur.

CAUSAE.

Materia acris cuti applicata, vel ex internis corporis dispositionibus; relaxantia.

CURA.

Regimen antiphlogisticum; applicatio topica amyli, vel lapidis calaminaris; cinchona; si adsit diathesis hypersthenica, venae sectio, cathartica, diluentia et similia, quae in inflammationibus usurpantur.

CAP. III. ERYSIPELAS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia, somnolentia, delirio, vel comate stipata; sitis; inquietudo; pulsus frequens, plenus et durus; virium prostratio; dorsi capitisque dolor; vomitus biliosus; anxietas; corporis jactatio; sensus fre-

quenter hebescunt et turbantur; aures intus sonant; aeger sopore aut vertigine corripitur; urina vel supprimitur vel crocea est aut turbida; febris modo antecedit, modo eruptionem sequitur; secundo, tertio, vel quarto die cutis intumescit cum dolore et rubore, qui nunc vividior, nunc pallidior est digitoque pressus albedine mutatur, sublato digito redit, ac levitate et dolore mordace simul urenteque increscit; tumor, denso pustularum agmine, tegitur, quae in vesiculas, tenuem humorem continentes, elevantur; tumor serpens ex uno in alium locum vicinum, faciem collumque operiens; raro aut nunquam truncum, brachia aliquando, crura saepe, saepissime caput, mammas et glandulas axillares infestat; palpebras nonnunquam occludit; nares et fauces siccescunt. Si morbus terminatur resolutione, tumor sensim subsidit, ardor et dolor evanescunt, post tres quatuor et aliquando post decimum diem, color roseus in flavum mutatur, et cuticula in squamulas, phlyctenas vel vesiculas, tandem fatiscens, secedit. Ubi vultus sedes hujus morbi est, quem prae caeteris capitis partibus affectat, plerumque

ab auris externae apice incipiens, paulatim ad genas serpit, nunc uno vultus latere contenta, nunc totum occupans, et ad collum aliquando et scapulas descendens. Faciei inflammatione apparente, pyrexia non semper remissionem patitur, sed saepe cum inflammatione ingravescit et dies octo vel decem durat; palpebrae nonnunquam in suppurationem tendunt. Si erysipelas in suppurationem habeat, tum solent vesiculae acerrimum liquorem effundere, qui corpus mucosum sub cuticula erodit, ulcera mali moris et ipsa caries vix sanabilia producuntur; comate et delirio ingravescentibus, aeger die septimo, nono vel undecimo mortalitatem explet. Est Erysipelatis certa species, quae, quia corpus circiter umbilicum instar cinguli cingit, Zona sive Zoster appellatur; stipatur diversis tumoribus, obsitis pustulis urentibus, valde dolentibus hinc inde se monstrantibus. Alia hujus morbi species cum variolosa constitutione conjungitur, in qua pustulae humorem flavescentem continent, et febri tertio vel quarto die superveniunt.

CAUSAE.

Corporis sensilitas et irritabilitas auctae; frigus; liquores fermentati; animi affectus violenti, ira praecipue et terror; potiones et balnea nimis calida; evacuationes naturales vel artificiales suppressae vel omissae; aer humidus et nebulosus; perspiratio impedita; acria aliena applicata, qualia ex animalium morsu, aut plantarum nonnullarum tactu sunt, et cibi potionisque materiae quaedam, uti esus mytilorum, squali catuli, ovulorum piscium etc.; erysipelatis priores insultus. Ad hunc morbum sunt dispositi adolescentes et juvenes, foeminae gravidae, scorbutici, cacochymici et hoc malum semel passi, item temperamento irritabili praediti. Ab anno trigesimo ad quadragesimum praecipue infestat.

DIAGNOSIS.

Erysipelas a phlegmone omnibusque aliis morbis facile distingui poterit. In phlegmone enim, quam in erysipelate, vividior

rubor est, et non parte, nisi validissime pressa, evanescens; tumor, uno loco contentus, in fastigium fere semper elevatur ac in apostema saepissime desinit et circumscribitur; dolor fere semper pulsatilis est. Quae omnia in erysipelate prorsus contraria sunt. Aliud phlegmonem inter et erysipelas discrimen, et quidem magnum, sedes dat, quae in erysipelate cutim, in phlegmone telam reticulatam et vasa occupat. A scarlatina anginosa, faucium tonsillarumque dolore, calore et rubore dignoscitur. A peste discrepat, et ab omnibus aliis exanthematibus, quamvis in multis persimile erysipelas, quia neque contagio oritur, neque contagiosum est, neque tanto stipatur periculo.

PROGNOSIS.

Erysipelatis finis melior aut pejor erit, prout eruptio vel febris levior aut gravior fuerit, partisque affectae indoles, aegri aetas aut habitus, cerebri affectioni et gangraenae minus aut magis faverint. Si enim eruptio minus late spargatur et in extremis partibus sedeat; si febris minus vehe-

mens sit; si aeger haud sit aetate provectus et habitu corporis robustiori praeditus, eo minus periculi pertimescendum. Contra si eruptio amplum spatium conprehenderit et febris maxime vigeat; si caput eruptione, praecipue totus vultus capillitiumque obsideatur; si doleat caput; si delirium aut coma, cerebri affectionem indicantia, subsint; si canalis alimentaris aut femur plurimum afficiantur, in angusto spes est. Erysipelas retrocedens, vel retropulsum, inflammationes internas, dolores et gangraenam inducit; si tumor livescat, gangraena prope adest.

CURA.

Sanguinis missio, si adsit diathesis hyperstenica, sed caute in hoc morbo est adhibenda; ubi vasorum actio modica est vel nimis debilis, tunc sanguinem mittere minime convenit; emetica ad vomitionem nauseamque ciendam; regimen antiphlogisticum; diluentia; diaeta, mucilaginosis vegetabilibus, sc. avena vel oryza etc. constare debet; applicationes topicae e. gr. farina, amylum, folia brassicae; tum potum aquo-

sum bibant aegri, refrigerantia, ut acida vegetabilia ac sales neutri, et ex his praecipue nitrum. Si delirium vel stupor urgeant, capiti fomenta et epispastica; si putredinis sint symptomata, vinum, cinchona, opium; caput erecte est tenendum: An moschus et Ammonia praeparata largis dosibus si timenda sit gangraena?

Aurivillius, Diss. de erysipelate. 8. Upsal. 1762.
Burserius, Instit. Medic. vol. II. cap. 12. §. 15.-43.
Dale, Diss. de erysipelate. 8° Edinb. 1775.
Frank, Epitome sup. cit. Lib. III. Ord. I. §. 279.-291.
Hoffmann, Med. Rat. Syst. T. IV. P. I. c. 13.
Renauldin, Diss. sur l'erysipele. 8.° Paris 1808.
Reil, Oper. sup. cit. vol. 2. P. II. §. 105.-124. 1792. P. I. §. 245. et seq.
Winckel, Diss. de cognoscendo et curando erysipelate. 8. Erl. 1794.

CAP. IV. OPHTALMIA MEMBRANARUM.

SYMPTOMATA.

Membranarum oculum investientium, praesertim tunicae adnatae rubor, ardor, tumor, oculique dolor acutus, palpebrarum motu vel luce auctus; adest quoque sensus quasi pulveris particulae, muscae,

vel spinae inter palpebras et globum oculi admissae; lippitudo perpetua aegrum vexat; magna lacrymarum effusio, nonnunquam ita acrium, ut partes oculo vicinae ab iis excorientur. Visus saepe imminutus vel plane deperditus et lumen refugiens; pulsus citatus et durus; tumor palpebrarum vel partium circa jacentium. Si gravior inflammatio, adnata supra corneam se se elevat, muscae volitantes obversantur oculis et omnia spectata variis coloribus tincta apparent; nonnunquam pyrexia vehemens, pervigilium continuum, calor ingens, delirium ferox. Ophtalmia in leviorem, graviorem, et gravissimam vel chemosim distingui solet. Si levior, tunicam adnatam et scleroticam tantum afficit; gravior confines etiam palpebras occupat et oculum dolore vehementi et ardore infestat; chemosis profundioris oculi partis, iridis, choroideae, ipsiusque retinae inflammatione stipatur. Idiopathica vel symptomatica est. Ophtalmiae terminationes sunt resolutio, raro suppuratio, rarius si unquam gangraena, corneae maculae, humorum opacitas, amaurosis.

CAUSAE.

Causae sunt stimuli proxime oculum vel externe vel interne afficientes. Externae sunt, vis externa oculis illata; corpora extranea in oculos admissa, ut fumus, pulvis inspersus, pili ciliarii intus conversi et tubercula palpebris adnata; lucis intensior intuitus; assidua rerum minutarum contemplatio; aura frigida liberius admissa; sudor subito suppressus; crebrior conspectus nivis, ignis, lucis et colorum splendidorum; vapores acres et metallici; ligaturae colli strictae. Interne agunt, solitae evacuationes cohibitae; scabies; gutta rosacea; libidinis intemperantia; ebrietas; vigiliae nimis protractae; exanthemata, praecipue variolae et morbilli; scrophula; syphilis; ophtalmiae praecedentes. Nonnunquam ophtalmia comitatur febres biliosas aut gastricas populares, et recurrit post ciborum digestu difficilium usum.

PROGNOSIS.

Ophtalmiae prognosis pro diversis causis, sede, inflammationis vehementia subjectique

constitutione diversissima est. Symptomatica, expulso morbo primario, facile curatur, interdum remanet perpetua in hunc morbum dispositio. Si gravissima est oculi affectio, saepe suppurationem, vix unquam gangraenam cum coecitate inducit; gravior est contumacior et durat per menses, haud raro maculas in cornea gignit; visus depravationem affert, vel corneam crassiorem et humores spissiores reddit. Si inflammatio internas partes et retinam occupet, periculosior; exostosis aut caries latens in orbita ophtalmiam veneream et scorbuticam vix sanabilem reddunt, et aegre recedunt; maculae inveteratae difficillime sanescunt. Si alvi profluvium supervenerit, haud raro ophtalmiam resolvit.

CURA.

Si affectio idiopathica sit et pyrexiae signa observentur, venae sectio ampla est adhibenda; hyrudines circa tempora vel ad inferiorem palpebram, adnatae vasorum vel internae palpebrae inferioris superficiei scarificatio; vesicatoria pone aures; irritationis omnis praecipue lucis evitatio, et aeger in

obscuriori degat loco; oculorum abstersio cum tenui, emolliente decocto, aut spongia lacte imbuta; cathartica lenia; pauca calomelani grana. Si oculorum, palpebrarum sensilitas major sit fomenta tepida ex malvae vel althaeae decocto, cum tepido lacte, aut gummi arabici solutione; emetica ad nauseam tantum ciendam. Applicationes topicae, quales cerussae acetatae, zinci preparationes etc. aqua solutae; si inflammatio levis aut cronica jam sit, opiata interne et topice; regimen antiphlogisticum; pediluvia. Si superveniret parti affectae erysipelas, tonica, qualia cinchona; balneum frigidum; oculi aqua frigida lavatio, ac similia sunt utenda et astringentia supra memorata; fonticuli aut setacia nuchae indita utilia sunt. Quando ophtalmia sit cum lue venerea conjuncta, hydrargyri praeparationes; quando scrophulae sint symptomata, tonica, cicuta, aquae chalybeatae et externe cataplasma aluminis, unguentum hydrargyri nitrati et similia sunt utenda. An interne barytes muriata? Tandem si ophtalmia a causa gastrica oritur solis emeticis saepius cedit.

CAP. V. OPHTALMIA TARSI.

SYMPTOMATA.

Signis supra memoratis addi possunt; tarsi palpebrarum, nec non glandularum in eisdem positarum tumor, pruritus, rubor vel erosio cum exudatione glutinosa, quae palpebras nocte conglutinat mane vix separandas; adnatae inflammmatio minor; tarsus et caruncula continuo turgent, rubent, initio arescunt aut nitida velut cuticula obductae incalescunt. Acuta inflammatione cessante, humor e tarsis fluens, principio acris, blandior fit aut butyro fere similis evadit, et oculos obnubilat. Carunculae lacrymalis turgidae pressio lippitudinem gignit. Lacrymae acres redditae genas erodunt; aut si in nares distillant coryzam et continuam sternutationem inducunt. Pili ciliarii nonnunquam invertuntur cum palpebra inferiore, unde Ectropium; aliquando vero decidunt et non semper post morbum renascuntur.

CURA.

Medendi ratio eadem est ac in priori specie, nisi quod ulcera tarsi, praeparationes cupri, hydrargyri et zinci postulant; an nitratum argenti? Palpebrarum adhaesioni, durante somno, obviam itur, illinendo eas unguento tutiae vel spermatis ceti.

Adest alia ophtalmiae contagiosae species, quae purulenta sive Egypti dicitur, purulentae neonatorum vel blennorrhoicae ophtalmiae fere similis; adnatae tumor hoc in morbo insignis et inflammationis symptomata graviora sunt cum copioso materiae viscidae, puriformis variique coloris ex oculo effluxu.

Hujus morbi initio, juvant venae sectio et laxantia lenia repetita; applicationes topicae, quales Cupri vitriolati, cerussae acetatae zinci et sic dicti lapidis divini praeparationes, aqua solutae sunt praecipue utendae, et parvae syringis ope leniter oculis sunt immittendae.

Brown, Diss. de Ophtalmia. 8.° Edinb. 1795.
Burserius, Oper. sup. cit. Vol. III. cap. X. §. 300-312.
Dewer, Diss. de Ophtalmia Egypti. 8.° Lond. 1814.

Flajani, Collezione d' osservaz. 8.° Tom. IV. Roma 1802 vid. Tom. IV. Osservaz. VI. seq.
Frank, Epit. sup. cit. vol. II. p. 58. seq.
Monteggia, Oper. sup. cit. Cap. III. p. 187. seq.
Richter, Elementi di Chirurgia sup. cit. vol. III. p. 1. seq.
Scarpa, Saggio di Osservaz. e d' esperienze sulle principali malattie degli occhi. 4.° Pavia 1801. Cap. VIII. p. 83. seq.
Saint-Yves, Traité des maladies des yeux. 8.° Paris.

CAP. VI. ENCEPHALITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens, quae incipit rigoribus, artuum lassitudine, anxietate, quas sequuntur calor, dolor capitis intensus, qui per occiput collo et universae spinae communicatur; rubor faciei et oculorum; turbatus somnus; aurium tinnitus; oculi inflammati rubescunt et motibus convulsivis vibrant; soni lucisque intollerantia; vultus inflatus; auditus acutus et irritatio a levissimo strepitu; jam mox aeger falsa somniorum imagine detentus, consurgit, vel immotus sedet; pupilla valde contracta; nil nisi scintillas et flammas videt. Oculorum aspectus truculentus, ferox et cruentus fit,

et robore in immane aucto, exhibet portenta virium. Delirium ferox, quasi furiis agitatus vix coerceri vinculis potest; modo hilaris, modo tristis, jactat se miserandus huc et illuc ac lumen ipsum et illa quae olim vitae solatia ducebat, fugit; quemcumque inordinatum motum tentat; modo cruribus et pedibus, modo toto corpore se agitat, praecipue vero manibus partes superiores invadit easque totis viribus distraere nititur; vigiliae continuae usque ad octavum diem protractae; arteriarum carotidum et temporum pulsatio; pulsus saepissime debilis, plerumque celer et durus; respiratio laboriosa; vox est rauca, clangosa; urina aquosa, vel pauca, rubra et fere sanguinis colorem referens; sanguinis per nares distillatio. Procedente morbo languescit corpus et ad motum impotens redditur; anxietas et suspiria; lingua modo alba et mucosa, modo nigra et arida; manet fere semper sine voce, nec ullum sensus vestigium retinet, cum nec, si etiam fortiter pungatur, respondere, aut annuere posse videatur. Nonnulli vigilant simul et in altum soporem deferuntur, e somno excitati inordinata verba respondent; alii incidunt in coma ita,

ut in eodem loco semper remaneant. Morbo depulso, aeger plectitur vertigine, debilitate et dolore oculorum, acuto auditu, et capitis gravitate.

CAUSAE.

Causae remotae sunt omnes, quae synocham producunt, animi pathemata violenta, praecipue ira; nimia potatio; vigiliae nimium protractae; nimia cogitatio; longa radiis solis aestuantibus expositio, capite nudato; vis externa capiti illata; tempestas fervida; nocturna studia; exanthemata retropulsa, uti capitis scabies, vel erysipelas; lochia retenta; viscerum obstructio; haemorrhagiae praecipue narium suppressae. Ad hunc morbum sunt praedispositi, mente mobiles; in iram proni; qui nimium nocturno studio indulgent; caput debile habentes et aetas juvenilis. Causa proxima est cerebri ipsius vel membranarum ejus affectus, uti docent cadaverum sectiones.

DIAGNOSIS.

Ab mania dignoscitur pyrexia violenta; a letargo, vivido colore, respiratione cele-

riori et pulsu debili; a delirio facillime dignosci potest, hoc enim, in statu ac vigore cujuscumque febris vehementis tantum incidit, et in febris declinatione rursus cessat, in encephalitide vero perdurat et continua dementia est.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt, sudores universi, diarrhoea copiosa; epistaxis vel sanguinis copiosum ex uteri anive venis profluvium; urina sedimentum deponens; delirii remissio; somnus placidus et reficiens. Signa infausta sunt, vomitus aeruginosus; foeces albidae vel cinereae; urinae albae et tenues; sputatio indecora in adstantes; pupilla ampla ad lucem immota; masticatio continua cum oris spuma; floccorum volitantium venatus; oculi pulverulenti; potus pertinax recusatio; deglutitio laboriosa; tremor; convulsio; coma; singultus; subsultus tendinum. A variolis mala admodum; a pneumonia et ileo lethalis. Viri gravius laborant, quam foeminae; quo audaciores sunt aegri, eo in majore versantur periculo.

Judicatur morbus hic inter septimum et

decimum quartum diem resolutione. Inflammatione non resoluta, morbus vel seri aut lymphae coagulabilis effusione, vel suppuratione, aut gangraena terminatur: saepe in alios degenerat morbos, uti in hydrocephalum, maniam, lethargum, melancholiam, vel desipientiam perpetuam, nec desunt exempla obdurescentis cerebri post inflammationes.

CURA.

Venae sectio larga, per amplum vulnus, repetita; venae jugularis incisio; arteriotomia; hyrudines ad tempora, retro aures, et ad nares; cucurbitulae cruentae; alvi purgatio; caput radendum, et epispastica capiti raso; pediluvia; regimen antiphlogisticum; diluentia addito nitro; clysmatum emollientium usus; si haemorrhoidum fluxus suppressio adsit, semicupium; hyrudines ad vasa haemorrhoidalia; applicationes externae, ut lintea in aceto et aqua perfrigida, capiti admota; corpus erecte tenendum est: an camphora cum nitro? Magna superveniente debilitate opii tincturae guttae paucae frequenter; moschus, praeci-

pue si vires sint nimium fractae; an praeparationes hydrargyri? Curandum est ut si ferocissimum delirium urgeat, aeger decumbat cubilo obscuro et tenebroso, quo aer temperatus, summa quies et adstantium silentium adsint.

Baillie, Anatom. Patolog. del corpo umano. 8.° Pavia 1807. cap. XXVI. Sez. I. p. 448. seq.
Commercium Liter. Noricum Ann. 1793. p. 55.
Eyerel, Comment. in Stoll Aphorism. de febribus. 8.° Vol. 6. Vindob. 1788. Vid. Tom. I. p. 183. seq.
Home, Principia Medicinae. 8.° Amstelod. 1766. p. 101. seq.
Morgagni, De sed. et caus. morb. 4.° vol. 3. Ebrod. Epist. I. art. 12.
Salius Diversus, De particul. affect. 4.° Bononiae 1584. Cap. I. p. 219.

CAP. VII. GLOSSITIS, SIVE LINGUAE INFLAMMATIO.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens cum frigore, quod protinus calor immodicus excipit; linguae dolor, rubor et tumor durus; summa hujus organi sensilitas; loquela impedita; magna

deglutitionis difficultas; dolor et tumor magis magisque increscunt; salivae spissioris et viscidae continuus ex ore fluxus; respiratio difficilis; tussis valida; capitis dolor et vigiliae fere continuae aegrum vexant; lingua valde tumida haud moveri potest, et in molem aucta sponte protruditur, ideo os semper hians remanet; facies nunc rubra, nunc pallida, tristis et sudore obtecta; aliquando palatum, ac gingivae excoriatae apparent; sitis et fames urgent; pulsus durus, ac frequens; urinae parcae et rubrae; cutis calor urens. Si inflammatio superficiem aut aliquam linguae partem tantum occupat, symptomata sunt mitiora; gravissima vero si totam linguae substantiam invadit, summo cum suffocationis periculo. Morbus hic intra quinque vel septem dies judicari solet. Resolutione, rarius suppuratione, et nonnunquam gangraena terminatur. Si glossitis resolvitur, quarto morbi die lingua copioso induitur lymphae coagulo, et sexto sudor universus apparet, urina sedimentum lateritium deponit et symptomata paullatim remittunt. Si linguae tumor perdurat et dolor pulsatilis fit, si aliqua hujus organi portio, quae magis tumida

est, colorem induit albidum et mollis evadit, tunc suppuratio perficitur.

CAUSAE.

Causae sunt quae coeteras inflammationes producunt. Incauta ciborum masticatio; dentis acuti aut cariosi actio; vesparum punctio; variolae; aphtae; calculi salivares; angina tonsillaris; linguae vulnera; tumor a morbo venereo, aut a scirrho atque cancro; fraenuli post partum laesio; praeparationes mercuriales; nimia aquae frigidae ingurgitatio, corpore antea calefacto; pedum sudor suppressus; balnea frigida; haemorrhoidum vel mensium suppressio; rheumatismi retrocessio.

PROGNOSIS.

Morbus valde periculosus et acutus est; nam intra quinque vel septem dies aegrum enecat. Si cito non resolvitur; si loquela, et deglutitio perit; si febris magis accenditur, et lingua praetumida respirationem difficilem reddit, suffocationis periculum imminet.

CURA.

Acutissimo huic morbo ocyssime subveniendum. Venae sectio generalis et topica cito est adhibenda, praecipue e vena jugulari aut ranina, quam aliquando repetere juvat; cucurbitulae cruentae tergo; hyrudines circa mentum vel ad linguae apicem appositae; alvi purgatio; pediluvia; cataplasmata emollientia collo admota; regimen antiphlogisticum; enemata laxantia; vaporum aquae calidae inalatio; semicupium; gargarismata ex lacte tepido, vel ex decocto emolliente cum melle et nitro. Si suffocationis pericula imminent linguae scarificatio. An laringotomia? Inflammatione peracta, si magna sit debilitas, opium; camphora; epispastica; cinchonae decoctum; vaporis aromatici inalatio.

Burserius, Loco cit. Tom. III. §. 366.
Bloedau, Diss. de Glossitide etc. Jenae 1795.
Double in Sedillot, Jurnal de Medicine Tom. XXVIII. p. 259.
Frank, loc. cit. Lib. II. Ord. II. §. 163.
Raggi, Sulla Glossitide. 8.° Pavia 1809.
Reil, loc. cit. Vol. 2. P. II cap 9. §. 125. seq.
Vogel Aug., loc. cit. P. I. §. 180. seq.

CAP. VIII. OTITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens cum rigoribus; dolor auris, gravis, ardens et pulsatilis, praecipue si inflammatio partes auris internas occupet; summa anxietas; capitis dolor ingens; pervigilium; delirium; nonnunquam convulsiones et animi deliquia; vomitus; auditus modo acutissimus, modo obtusus; pulsus, initio morbi, durus, plenus et frequens; morbo aucto, debilis, humilis et depressus; urina parca et rubra. Morbus hic in internum et externum dividi solet; si externe, meatus tantum auditorius quadam erysipelacea inflammatione corripitur; si vero internas aurium partes invadit, timpani membrana, ejusque cavum et labyrinthum gravissima inflammatione laborant. Quandoque otitis resolvitur, crebrius in suppurationem desinit.

CAUSAE.

Causae vel externae vel internae esse possunt. Externae sunt, irritatio a corpore

alieno in aurem illapso; contusio; insecta et vermes vel in eam ingressi, vel innati; cerumen exiccatum; concussio; vulnera; capitis laesiones; ossium caries; frigus capiti aut pedibus calefactis admissum. Internae sunt, auris membranarum affectio rheumatica; arthritis; variolae; morbilli; achores; exanthemata; scrophula; in pueris dentis molaris eruptio difficilis; subitae et vehementes tempestatum, atque aeris vicissitudines; haemorrhagiae suppressae; colluvies gastrica; hypochondriasis.

PROGNOSIS.

Inflammatio quo penitiores auris partes occupat eo gravior et periculosior, saepe enim septimo die aegrum jugulare potest. Narium haemorrhagia; sudores profusi; urina copiosa sedimentum lateritium deponens; materiae purulentae, serosae, acris, vel subcruentae ex aure fluxus; fausta sunt signa. Dolor atrox; delirium ferocissimum; pyrexia aucta; convulsiones; sopor; loquelae defectus; syncopes frequentes et extremitatum frigus, infaustum morbi eventum denunciant. Juvenes magis periclitantur quam

senes; aurium ulcera difficillime curantur, et pluries in surditatem degenerant.

CURA.

Venae sectio generalis repetita; hyrudines retro aures; cucurbitulae cruentae; remedia emollientia, ex lacte vel malvae decocto auri externo sunt admovenda; pediluvia; gargarismata emollientia; olei amygdalarum cum lacte tepido misti per vices in aurem instillatio; clysmata emollientia in alvum injicienda; cathartica lenia; corpora aliena in aure irrepta citissime educi debent; insecta oleo, vel absintio aut aliis amaris remediis necanda, et melle aut gossypio immisso sunt extrahenda. Si signa adsint suppurationis, emollientia cataplasmata; vapor aquae tepidus in aurem mittendus. Disrupto abscessu ulcus detergendum cum hordei decocto, melli despumato, mixto.

Brotbeck, Diss. de Inflamm. aurium, Tubing. 1667.
Burserius, loc. cit. Tom. III. Cap. XIII. §. 344. seq.
Frank, loc. cit. Tom. II. Lib. II. §. 156. seq.
Gilibert, Advers. Pract. 8.° Lugd. 1791. pag. 141.
Vogel Aug., loc. cit. Tom. I. §. 170. seq.
Zacutus Lusit., Prax. Hist. Lib. VII. obs. 23.

CAP. IX. CYNANCHE TONSILLARIS.

SYMPTOMATA.

Membranae faucium mucosae, praecipue uvulae, veli penduli palati et tonsillarum dolor, tumor, rubor; magna deglutiendi difficultas; angustiae in faucibus sensus; oris fauciumque viscositas; assidua et molesta muci excretio glutinosa; synocha; tumor primum vulgo in alterutra tonsilla ubi decrescens in alteram transit; nulla vel parca admodum per nares respiratio, neque haec quoad caetera multum laeditur; faciei interdum rubedo; muci in faucibus secretio copiosa; cibi potusque per nares regurgitatio; pulsus validus, durus et frequens; vox rauca, vel acutà, vel nasalis; continuus ex ore salivae fluxus; si tonsillae nimium tument, aeger ob instantem suffocationis metum, ac ob tussim somno indulgere non potest. Auris internae atque tubae Eustachianae dolor; auris durante deglutione crepitus; aegri saepe surdi evadunt. Morbo aucto, facies tumida et livida; capitis dolor ingens; prominent et ful-

gent oculi ; vigiliae ; alvi constipatio ; delirium ; sitis magna ; anxietas summa : inflammatio nonnunquam magnopere procedit ut laringi communicatur, ut spiritus afficiatur.

CAUSAE.

Omnes causae, quae inflammationem producunt ; frigus collo applicatum ; exercitatio vehemens oratoria ; potus aquae frigidae ; dispositio scrophulosa ; stimuli gutturi inhaerentes. Juvenes, rufi et pletorici huic morbo valde proclives evadunt. Tempus vernale atque boreales plagae ad hunc morbum praedisponunt.

DIAGNOSIS.

A cynanche maligna distinguitur, febre comitante ; pyrexia in hoc morbo, synocha est cum pulsu forti, in altero typhus cum insigni virium jactura et exanthematibus. In angina maligna, crustae mucosae, coloris cinerei vel albescentis, quae ulcera obducunt, in faucibus apparent ; quae in angina tonsillari haud conspiciuntur.

PROGNOSIS.

Terminatur frequentissime resolutione, suppuratione, raro gangraena; pyrexia lenis, respiratio libera, tumor externus, fausta sunt symptomata; si vero inflammatio est valida, vel si in alium morbum, ut in pneumoniam vel in encephalitidem transit, in praecipiti est res. Mortem imminentem ostendunt oris spuma, lingua tumida et purpurea; estremitatum frigor; pulsus parvus, debilis et intermittens.

CURA.

Sanguinis missio generalis; jugularis venae incisio, si inflammatio nimis urgeat; hyrudinum circa guttur applicatio; cucurbitulae cruentae; vomitoria praecipue sub morbi initium; epispastica et rubefacientia collo admota; alvi purgatio praecipue cum calomelano; regimen antiphlogisticum; vaporis aquae calidae et aceti inalatio; gargarismata resolventia; fomenta, panno ex lana, aqua calida imbuto, dein compresso et circa collum applicato; si minitetur suppuratio fo-

menta et cataplasmata sunt utenda; si metuetur suffocatio tonsillarum scarificatio, vel aetheris et aquae calidae inalatio; Laryngotomia?

Burserius, loc. cit. Tom. III. Cap. XVII. §. 365. seq.
Boulland Quaest. Medic. 1750.
Eyerel, Comment. in Stoll sup. cit. Tom. I. p. 295.
Girtanner, Malattie dei bambini. 8.° Vol. 2. Venez. 1803. Vol. I. pag. 45. seq.
Raggi, Sulla Cinanche Tonsillare, e sulla Laringotomia. 8.° Pavia 1811.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. II. §. 131-159.
Vogel Aug., sup. cit. Tom. I. §. 182-191.

CAP. X. CYNANCHE MALIGNA.

SYMPTOMATA.

Morbus hic a signis, in aegris, diversis, diversimode incipit; plerumque adsunt languor et lassitudo, per dies plurimos saepe manentia; horrores crebri; nausea; anxietas; eodem tempore vel brevi post, calor urens et intensus, dolor capitis, cervicis rigor, faucium molestia et raucedo incidunt; uvula, tonsillae ac glandulae maxillares intumescunt et florido colore nitent, mox

supra partes affectas, maculae albae vel cinereae, serpentes, coeuntes comparent et fauces crustis crassis obducunt; his decedentibus, ulcuscula subjacentia se ostendunt, eodem tempore coryza acris humorem foetidum effundens, labia naresque rodit; infantes diarrhoea tentantur; in adultis vero alvus saepius durescit; facies nunc rubra est et tumida, num pallida; oculi videntur humidi et inflammati; pulsus, ab initio usque, sunt plerumque celeres, parvi, crebri, et abnormes; respiratio strepens et rauca evadit; urina primo cruda et serosa, postea bile tincta; deglutitio non valde laesa, sed impedita; odor in faucibus ingratus; lingua humida et muco saepe obducta. Eruptione accedente, vel decedente, pyrexia raro imminuta; glandulae parotides tument et dolent; cervix aedematosa; vox rauca et strangulatoria; haemorrhagiae per uterum, anum, aut per nares; symptomata vespere adventante ingravescunt, et mane remittunt; magna virium prostratio, delirium et coma superveniunt; cutis aspera et arida. Secundo tertiove die, primo circa faciem collumque efflorescit cutis maculis clare rubris, serpentibus, tandem coeuntibus, cor-

pus totum obducentibus, manibus extremisque digitis rigidis et tumidis. Eruptio circa diem quartum plerumque disparet, et cuticula disquamatur; morbo procedente si gangraena esophagi usque ad ventriculum, et tracheae ad pulmones serpit, vel si ataxiae signa accedunt, aeger inter diem tertium et septimum e vivis eripitur. Morbus hic pueros quam adultos, mulieres quam viros, debiles et valetudinarios invadit; se se monstrat praecipue autumno et initio veris, praecedente calida tempestate.

CAUSAE.

Contagium.

DIAGNOSIS.

A cynanche inflammatoria dignoscitur angina maligna, pulsu, deglutitione parum difficili, maculis cinereis et serpentibus, respiratione strepente et febris typo. Maligna frequentissime per autumnum grassatur et est contagiosa; inflammatoria maxime vere infestat, et contagio numquam se se diffundit. Utraque ab horrore incipiunt; sed maligna frequentius vomitu, al-

vi profluvio, dolore capitis acuto, quam inflammatoria stipatur. In illa pulsus sunt celeres, parvuli, inaequales, aliquando graves et undosi; in hac frequentes, validi, duri.

PROGNOSIS.

Morbus nimium fallax et semper periculosior, praecipue in pueris. Periculum pyrexiae violentia et gangraenae proclivitate est aestimandum; ulcerum livor; spiritus et coryza foetide olentes; diarrhoea violenta, rigor, pulsus debilis et parvus; corpus aedematosum; delirium et coma perdurantia; anxietas permagna et inquietudo; exanthemata retropulsa, vel livida; sanguinis praecipue e naribus fluxus, funestum morbi eventum denunciant. Signa fausta sunt, mitior ulcerum species; eruptione prodeunte, febris remissio; ea in squamulas abeunte cum altera remissione; tumor erysipelaceus; sudores lenes, universi; crustis a faucibus delapsis, respiratio libera; somno, cibi desiderio et aliis bonis notis redeuntibus.

CURA.

Morbi initio emetica repetita; laxantia vel enemata lenia, alvo postulante; summae virium debilitati occurritur cinchona, vino, opio, camphora, seneka, serpentaria, gargarismatibus antisepticis; pediluvia; mundities summa; aeris puri libera admissio et alia remedia ad typhum graviorem aptata; ulcerum foetor injectione frequente aluminis in aqua soluti amovetur, nempe aluminis uncia dimidia ad aquae libram unam; epispastica invicem excipientia; acidi carbonici, vel myrrhae et camphorae ex aceto et melle coctis, vaporum inalatio. An aquae frigidae corpori nudato affusio? An hydrargyri praeparationes?

Araeteus, Acut. Lib. I. cap. 9.
Aurivillius, Diss. de Angina infantum etc. Upsal. 1764.
Brugnone, Storia della Squinancia gangrenosa ec. 8.° Turin. 1777.
Cortesius, Miscell. Med. Dec. IX. Fol. Messanae. 1526. pag. 696-704.
Foglia, De faucium ulceribus. 4.° Neap. 1564.
Fothergill, An account of the sore Throat etc. 8.° Lond. 1751.
Ghisi, Lettere Mediche. 4.° Cremona 1729.
Girtanner, loc. cit. Tom. 2. p. 37. seq.

Walker, Diss. de cynanche maligna. 8.° Edinb. 1787.
Withering, Diss. de angina gangraenosa. 8.° Edinb. 1766.
Vide etiam oper. sup. cit. Burserii, Frank, Reil, Eyerel, etc.

CAP. XI. CYNANCHE TRACHEALIS.

SYMPTOMATA.

Adoritur plerumque infantes lactationis tempore peracto, vel pueros ante duodecimum annum; nonnunquam vero etiam adultos aggreditur. Morbus hic plerumque incipit languore ac molestia et frequenti frigore, cui calor succedit, cum dolore ad partem tracheae obtuso, tumore fere nullo in faucibus apparente; nonnunquam tussis levis, aliave symptomata catharralia praecedunt; supervenit raucedo clangosa loquelam tussimve comitans, quasi ex tubo metallico vox prodiret, quae galli cantui, canis latrantis aut gallinae pipientis voci confertur. Facies vel pallida est, vel rubra, mox livida tumet; sitis urget; respiratio quae morbi initio parum afficiebatur, gradatim difficilior fit cum inspiratione strepente; suffoca-

tio minitatur; majori molestia inter dormiendum trahitur spiritus, quam inter vigilandum; somnus brevis et turbatus; tussis brevis, interrupta plerumque sicca urget; si adsit expectoratio, materies purulenta fimbriis membranaceis mixta, vel concretiones tubulatae aut filamenta quasi dentata, tussis ope ejiciuntur; plerumque maxima ad somnum proclivitas; adsunt sitis magna, caloris ingratus sensus et inquietudo; caput dolet; sonus stridulus respirationem comitatur; deglutitio parum minimumque impeditur; manus pedesque tument; perspiratio parca, et urina primo est limpida postea turbida et sedimentum mucosum deponit; in faucibus nihil morbidi ut plurimum conspicitur, aliquando tamen tonsillae et lingua lente intumescunt, rubent et muco obvestiuntur; pulsus initio fortis et durus, frequens et debilis evadit; synocha; morbo ingravescente respiratio difficilis fit et anxia; extrema tument et frigescunt, dum sudor copiosus e capite et pectore erumpit; sensibus illesis fruitur aeger, et nonnunquam cum strangulationis in faucibus sensu subito eripitur. Si morbus gravissimus est, aliquando intra horas viginti quatuor, et

frequenter intra duos vel tres dies strangulatur.

CAUSAE.

Frigus; atmosphaera frigida et humida; exercitatio violenta; crebra vociferatio irritando tracheam; aetas infantilis; exanthemata, uti variolae, scarlatina etc.; quaecumque debilitant vel pulmones irritant huic morbo praedisponunt, eos praecipue, qui pulmonum morbis laborant.

DIAGNOSIS.

Peculiari vocis sono et constrictionis circa laryngem sensu, facile dignoscetur. Differt a cynanche tonsillari, quia non tument tonsillae et deglutitio semper illesa est. Differt a Pneumonia, nam in hoc morbo, dolor sive pungens sive obtusus, praesertim sub inspiratione auctus, semper aliquem thoracis partem infestat. Ab asthmate dignoscitur, hic enim morbus vix aut ne vix quidem, primis aetatis annis adoritur, et semper sub paroxysmis grassatur, gutturis aut faucium tumor nullus, nec vox stridula est. Inter catarrhum et cynanchem tra-

chealem fines haud accurate determinari possunt, iis enim eadem sedes. Sed si hi morbi suam jam induerint formam, facillime distingui possunt; cynanche enim trachealis cito vocem propriam et respirationis difficultatem recipit. Tandem a Pertussi dignoscitur; quamquam enim haec pueros ejusdem aetatis quam cynanche trachealis adoriri solet, tamen magis gradatim accedit, certaque tempora servat; doloris et tumoris tracheae plane expers est, tussis longe gravior, sed respiratio rarissime est difficilis, et paroxysmus muci viscidi excretione plerumque finitur.

PROGNOSIS.

Respiratio cum strepitu valde difficilis; anxietas magna; pyrexia vehemens; tussis sicca, infausta sunt symptomata. Membranaceae materiae expectoratio; respiratio libera; vox parum mutata, fausta sunt omina. In cadaverum incisione pulmones plerumque naturales videntur, interdum materia alba vel purulenta repleti; internae parietes tracheae atque bronchiorum, plerumque obducuntur quadam concretione tu-

bulata, vel lamina materiae flavescentis et pulposae, quae caveae imaginem refert, unde depromitur. Hoc singulare corpus albescentis ést coloris, modo crassum, modo durum et tenue, nonnunquam molle et fere solutum, tracheae haud firmiter adhaerere videtur, nam sine difficultate separari potest.

CURA.

Si Diathesis adest hypersthenica, in robustis praecipue et pletoricis, venae sectio; hyrudines quam prope parti affectae sunt admovendae; emetica ad vomitionem nauseamque ciendum; alvi purgatio lenis; calomelani pauca grana repetita; digitalis purpurea; aqua lauri cerasi; praeparationes antimoniales; polygala seneka; aquae calidae vaporum inhalatio; fomenta, vel cataplasmata emollientia gutturi applicata; balneum tepidum; regimen antiphlogisticum.

Brera, Giornale di Medicina Pratica T. II. p. 311.
Crawfort, Diss. de Angina stridula. 8.° Edinb. 1771.
Ghisi, Lettere Mediche sup. cit.
Girtanner, Oper. sup. cit. Tom. II. Cap. 13., p. 78.
Home, An Inquiry into the nature, cause and cure of the croup. 8.° Edinb. 1765.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. II, P. II. §. 160-177.

Rosenstein, Delle malatt. dei bambini. 8.° Milano 1780. pag. 396. seq.
Rubini, Riflessioni sulla malattia comunemente denominata Croup. 8.° Parma 1813.
Sedillot, Journal de Medecine et Chirurg. ann. 1812.

CAP. XII. CYNANCHE PHARINGEA.

SYMPTOMATA.

Rubor in imis praesertim faucibus, deglutitio maxime impedita, dolentissima; potulentorum per nares regurgitatio; respiratio satis commoda; febris synocha; tussis vehemens, et sicca. Inflammatio ad musculosas pharingis partes extenditur; adest calor, ardor, et rubor. Easdem causas ac cynanche tonsillaris, et eamdem medendi rationem postulat.

CAP. XIII. CYNANCHE PAROTIDAEA.

SYMPTOMATA.

Tumor externus parotidum, et maxillarum glandularum magnus, primo in maxil-

lae inferioris angulum comparens, coloris cutis immutatio et leve integumentorum oedema; respiratio et deglutitio parum sunt laesae; febres synocha plerumque levi faucium tumore recedens; tumor autem modo planior, modo eminentior, ita ut totam faciem invadit vultumque deformat: mammae in foeminis, et testes in maribus afficiuntur. Cynanche parotidaea nonnunquam epidemice grassatur; parotidum tumor tactui renitens, tentivum dolorem movens, maxillares glandulas, vel glandulas colli attingit, deglutiendi potestate imminuta, rubore modo nullo, vel levi, modo erysipelaceo; pyrexia vehemens est, virium languor et dejectio, nausea, vomitus substantiae viridis, crebra suspiria; anxietas, inquietudo, et facilis in lipothymiam lapsus, praecipue situ erecto. Septima, nona, vel undecima die, detumescentibus parotidibus, scrotum dolet, tumet et rubet in viris; tumor et dolor ad mammas, lumbos et pubim foeminas exercet, quales imminentes mestruae purgationes afferre solent; aliquando etiam testiculus alter, raro ambo dolent et tument; febris major fit et inflammationis phoenomena associantur.

CAUSAE.

Tempestatum varietates insolitae; atmosphaera humida; frigus susceptum; scrophulae; lues venerea; scorbutus; febres acutae; parotidis inflammationes epidemicae pueros, atque adolescentes praeceteris corripere solent, quandoque vero nulla aetas sexumque nullum immune ab hoc morbo remanet.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens, vel encephalitis tumori mammarum, vel testium retrocessioni superveniens; sitis magna; anxietas; vigiliae; dolor capitis excrucians; facies universe tumida; infausta sunt symptomata. Urina copiosa; sudor profusus ex tota corporis superficie erumpens; alvi profluvium, sanguinis e naribus profusio, quarta vel septima die superveniens, morbum facile solvunt. Testis tumor vel resolvitur intra aliquot dies, vel in ulcus abit testes nonnunquam destructurum.

CURA.

In genere solummodo requiritur regimen antiphlogisticum, solius naturae viribus paucorum dierum spatio persaepe decrescit, et resolvitur; corporis quies, fomenta tepida et emollientia, diluentia, unctiones ex oleo et fotus cum exquisita diaeta, ad resolutionem accelerandam sufficiunt. Si inflammatio gravis est, et pyrexia vehemens, praecipue si aeger aetate floret, venae sectio etiam repetita, cathartica lenia: atsi mammarum aut testium tumore recedente, augeatur pyrexia cum encephalitidis signis, vel stupore, capitis fomenta, vesicatoria, et alia encefalitidi idonea sunt usurpanda.

Burserius, loc. cit. Vol. III. Cap. XV. §. 356. seq.
Comment. de Bonon. Scient. et Art. Instit. Tom. V. P. I. pag. 117. seq.
Jacobi, Diss. de angina parotidaea. Gotting. 1796.
Lieutaud, Synopsis sup. cit. Lib. 2. Sect. 2. p. 300.

CAP. XIV. PNEUMONIA.

SYMPTOMATA.

Frigore, horrore, aucto calore, aliisque synochae signis adoritur; paucis horis elapsis subsequuntur symptomata jam jamque memoranda; dolor lateris auctus, fixus, pungens (nonnunquam vero obtusus cum ponderis sensu) saepissime sextam, aut septimam costam occupans, quandoque hinc ad scapulas, illinc ad sternum, aut clavicolas jaculans; respiratio perpetuo difficilis sub inspiratione aucta, saepe non nisi trunco corporis erecto exercenda; si lateris dolor pungens sit inspiratione augetur; decubitus in latus affectum, vel integrum molestus, nonnunquam in dorsum commodior; aliqua viscera abdominalia aliquando affici videntur; tussis major, minorve ab initio concitatur, dein crebra, dolentissima et saepe horrisona comitatur, perque totum morbi decursum aegrum vexat; primo expectoratio est nulla, vel parca, postea materies sputu rejecta colore, quantitate, et spissitudine variat, et saepe sanguine tingitur, mo-

do crassa, et purulenta, modo viscida, et tenuis; facies tumida est, et purpurei coloris; oculi, et facies rubescunt, vultus saepe summae anxietatis specimen exhibet; oculi suffunduntur, vel etiam obtenebrantur; lingua quoque orrescit, aut viscido nigro, flavoque obducitur muco, et aliquando in rimas dividitur dolentes; sanguis a vena apte eductus superficiem coriaceam albam fere exhibet; sed in pneumonia acutissima uti in quibusdam aliis phlegmasiis, aliquando sanguinem missum et jam concretum, superficiem coriaceam albam haud ostendere videtur; pulsus fit frequens, plenus, durus atque citatus, nonnunquam vero mollis et debilis. Haec plerumque comitantur anorexia, nausea et vomendi cupiditas, cephalalgia. Inflammatione undique se diffundente, morbum graviorem esse oculorum languor, delirium et nonnunquam coma testantur; anxietas et inquietudo urgent, extrema frigescunt, arteriarum pulsus celerrimi, quam maxime debiles, et intermittentes, vel ad extrema prorsus cessantes, respiratio denique difficillima evadit. Tandem deficientibus viribus, sudore circa caput et pectus erumpente, supprimuntur sputa, ar-

tus convelluntur, et suffucatione superveniente mors e medio aegrum tollit. Pneumonia terminatur resolutione, suppuratione, gangraena, effusione, vel exsudatione a pleurae interna superficie.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, anni tempus certum, hyems, et ver; temperamentum sanguineum; perspiratio imminuta, aut suppressa; potus spirituosi; aqua frigida corpori calefacto immissa; balnea nimis calida; exanthemata retropulsa; aetas inter quadraginta et sexaginta; vita ignava, aut sedentaria; prava thoracis conformatio; morbi praegressi, uti catharrus gravis, rubeola, variolae, angina, pleuritis etc.; exercitatio vehemens pulmonum, ut altius loquendo, cantando, vel fistulam tubamve sive diutius, sive vehementius inflando; causae synocham inducentes; frigoris, et caloris vices; inalatio vaporum acrium, ut fumus arsenici, sulphuris, acidorum mineralium; vulnera aut externae contusiones; aeris constitutio. Causa proxima est pleurae, vel pulmonum actio inflammatoria.

DIAGNOSIS.

Pneumoniam inter et alios morbos qui eam referunt facilis diagnosis. Pleurodynem sive dolorem musculorum intercostalium ex rheumatismo satis designant, pars affecta tactu dolens, tumor et rubor externus, praecipue si dolores rheumatici in aliis corporis partibus praecesserint. A carditide facile distingui potest; in hoc enim morbo symptomata graviora sunt, et adsunt anxietas magna, pulsus inaequalis, palpitatio cordis et syncope. Pneumonia ab hepatitide dignoscetur, difficili in latus affectum decubitu, dolore non pressione aucto; singultu; partis situ. Dignum est notatu in pneumonia abesse dolorem in hepatitide fere semper praesentem esse ad clavicolam, et summum humeri dextri. Gastritidem, anxietas, epigastrii ardor, ac dolor pressu et ingestis quibuslibet auctus, singultus, vomendi cupiditas, et ingesta protinus ejecta ab ea distinguunt.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens, respiratio valde difficilis, tussis crebra, vehemens, dolores exasperans, dolor ab altero latere in alterum transgressus, anxietas, et inquietudo auctae; si aeger neque in alterutrum latus, neque in tergum cubare possit; delirium, respiratio repente curta, et celer; facies turgida, et livida; sudor parcus, viscidus e capite et cervice promanans; pulsus irregulares, infausta sunt symptomata. Materiae subflavae, spissae, sanguinis aliquantulo tinctae, sine tussi vehementi, expectoratio libera; haemorrhagiae naribus, vel venis haemorrhoidalibus; diarrhoea biliosa; urina copiosa, vel sedimentum deponens, vel eruptio erysipelatosa partes externas occupans, fausta sunt signa.

Humoris spissi, albidi, subflavi, sanguinis aliquantulum striati, facilis excretio; urina sedimentum lateritium, vel album, puriforme et copiosum deponens, sudores calidi abundanter effusi, epistaxis, et haemorrhois, vel forsan menses resolutionem testantur.

Suppurationem futuram denunciant in-

flammationis symptomata perstantia ad diem decimum quartum, sed aliquandiu moderatius; jam factam testantur doloris et sputi remissio, spirandi difficultate manente; horrores leves, febris hectica, tussis, et dispnoea auctae, decubitus in latus affectum facillimus, et ponderis sensus in thorace. Materies vomicae disruptae per varias semitas ruere potest. Si pulmones, pleurae costas obtegenti vel diaphragmati adhaeserint, pus vel foras exit, vel in cavum abdominis irrumpit; si in cavum thoracis expanditur empyema constituit, si vero in bronchia suffucationem inducit; effusionis symptomata suffocationem inducentia sunt, respiratio subito abbreviata, accelerata, nonnisi trunco corporis erecto exercenda, pulsus debilis est et maxime frequens.

Gangraenam instantem indicant, dolor et tensio subito cessantes, expectoratio sanguine tincta, vel materia nigricante commixta, halitus quam maxime foetidus, vultus maestus, oculi suffusi, arteriarum pulsus debiles, vel crebrissimi, dejectiones frequentes viridesque, urina rubra, vel sedimentum nigrum deponens, sudores frigidi per caput, et pectus erumpentes, deli-

rium mite tendinumque subsultus, finem statim imponunt.

Effusio, vel sanguinis, vel humoris serosi in telam cellulosam pulmonum aut in bronchia ipsa, ut patet ex cadaverum sectione, vasa aerifera comprimendo sanguinis circuitum sistunt, indeque oritur suffocatio. Effusionis symptomata sunt respiratio subito accelerata, non nisi trunco corporis erecto exercenda, virium prostratio, vultus omnino lividus, inspiratio difficillima, cessatio doloris repentina, oppressionis sensus ingens, pulsus debilis et maxime frequens. Hisce omnibus continuo urgentibus, expectoratione prorsus cessante, sequitur suffocatio.

Ex superficie pleurae inflammatae fit quandoque exsudatio, quae partim viscida et tenax facta, adhaesiones pulmonem inter et pleuram diversimode inducit; materies exudata modo tenuis et serosa apparet, ac in thoracis cavitate accumulata hydrotoracem gignit, modo crassa et densa pseudomembranae formam induit, uti videtur saepe in cadaverum sectionibus.

CURA.

Ad imminuendam vasorum actionem auctam in toto corpore et praecipue in parte inflammata juvant, sanguinis missio cita, larga, repetita secundum symptomatum violentiam, et aegri vires; hyrudines, vel cucurbitulae cruentae ad partem affectam sunt admovendae; epispastica repetita thoraci applicata, laxantia lenia, et enemata emollientia; diluentia tepida acido vegetabili, vel syrupo simplici grata reddita; demulcentia mucilaginosa; regimen antiphlogisticum; vomitoria, ut antimonium tartarisatum refracta dosi ad *nauseam* solummodo ciendam, cathartica lenia; aqua distillata lauro-cerasi, vel acidum prussicum aqua dilutum? Inflammatione imminuta, sputorum rejectionem liberam promovent, tussimque levant expectorantia. Aquae calidae vapores in pulmones sunt excipiendi; pediluvia; scilla, gummi ammoniacum, poligala seneka; kermes minerale.

Baillie, Anatom. Patolog. sup. cit.
Burserius, loc. cit. P. II. Cap. IV. §. 97. seq.
Eyerel, Comment. sup. cit. Tom. II. pag. 62. seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. III. §. 183. seq.
Morgagni, De sed. et caus. morb. sup. cit., Epist. Anatom. XX., XXI.
Moseley, Diss. de peripneumonia vera, 8.° Edinb. 1780.

Reil, Oper. sup. cit. Vol. II. P. II. §. 182. seq.
Triller, De pleuritide Comment. 8.° Venet. 1753.
Verna, Princeps acut. morb. pleuritis etc. 4.° Venet. 1713.

CAP. XV. PERIPNEUMONIA NOTHA.

SYMPTOMATA.

Adsunt frigus, calorque alternatim; lassitudo; tussis humida; muci viscidi et opaci, expectoratio; doloris obtusi, seu potius ponderis et angustiae sensus, in aliqua thoracis parte; capitis dolor immanis, nonnunquam vomitus; sitis modica; pulsus arteriarum tenues, modo inaequales, ac debiles cum anxietate praecordiorum et magna pectoris oppressione; dispnoea; tussis nunc continua, vehemens et impetuosa, nunc pauca est; vertigo vel somnolentia; pyrexia plerumque nulla, vel mitis; urina pallida; lingua impura, et albido obducitur muco; fugax genarum rubor; animus aliquando deficit; cordis palpitatio; anxietas summa; vultus lividus vel plumbei coloris, ungues lividae; calor cutis vix auctus; summa vi-

rium debilitas; sanguis e vena emissus obscure lividus, vel tenuis est; pulmonum coarctatio, quae nonnunquam adstantium auribus percipitur, quoties tussit aeger; frigent extrema.

CAUSAE.

Anni tempus; ver, et autumnus; subitae caeli mutationes; catarrhi priores. Morbús hic, senes, debiles, laxos et obesos, liquoribus spirituosis plus aequo addictos aeremque palustrem incolentes, tempestatibus praesertim pluviosis, adoritur, ac hieme, vel nascente vere grassatur.

DIAGNOSIS.

A pneumonia cognoscitur, pyrexia miti, vel omnino absente, dolore, calore sitique, minus violentis; ab asthmate dignoscitur dispnoea minus vehemente, et ea non per intervalla subeunte.

PROGNOSIS.

Pyrexia levis vel nulla, muci expectoratio facilis, dispnoea gradatim cessans, res-

piratio facilis, sudor universus e tota cutis superficie manans, arteriarum pulsus molliores et ampliores, signa sunt bona. Pyrexia vehemens subito invadens; respiratio difficilis et anxia; strepitus pectoris a redundante sputo; pulsus parvi, debiles, vel inaequales et intermittentes; sopor, insensibilitas, vel sensuum haebetudo; extremorum frigiditas, sudor viscidus, frigidus et densus e capite, collo, et pectore erumpens; infausta sunt signa.

CURA.

In hujus morbi curatione, magna cum circumspectione agere debemus, utpote qui semper periculosus, et saepius laethalis est, idque eo magis, cum symptomata initio mitiora facile in neglectum inducere queant. Venae sectio plerumque obest; sed si dyspnoea, et angustiae sensus urgeant, caute est adhibenda, si vires admittant; cucurbitulae cruentae humeris sunt applicandae; emetica tali quantitate data, ut nausea moveatur, praecipue ipecacuanha; epispastica invicem excipientia thoraci admota; laxantia lenia et enemata, diluentia, expectorantia;

balneum tepidum; scillae praeparationes; serum sinapinum, melle dulcificatum; kermes minerale; gummi ammoniacum; sulphur auratum antimonii; seneka; assa foetida; an digitalis?

Ballonius, Opera Omnia, 4.° Vol. 4. Venet. 1734. Vid. Vol. 2. Cons. I. n. 6. 27. 74. 94.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. III. §. 188.
Huxam, De febrib. sup. cit. pag. 149. seq.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. II. P. II. §. 207. seq.
Sarcone, loc. cit.
Sydhenam, Opera omnia, Vol. I. Cap. IV. pag. 168. seq.

CAP. XVI. CARDITIS.

SYMPTOMATA.

Dolor pungens, pertinax, angens, sub sterno ad mammam sinistram porreptus, seu ponderis sensus, quasi saxum ingens cordi incumberet, cum magno calore interno, praecipua sunt symptomata; his accedit, cordis turbatus et concitatus motus, ita ut modo contremiscere, modo circumvolvi videatur; pulsus arteriarum irregulares omnimodo sunt, vel intermittentes, sini-

stri lateris magis inaequales, quam dextri, rarius naturales. Pyrexia vehemens est, incipit rigore, dein animi deliquiis frequentibus, magna anxietate atque extremorum frigore comitari solet; nonnunquam febris remittentis tipum servat et recurrens symptomata adauget. Respiratio difficilis est, ut dorso incumbere nequeat aeger, sed vel pronus sedeat, vel laevo lateri inniti cogatur; palpitatio praecordiorum; vomitus porraceus; singultus; hydrophobia. Facies nonnunquam tumida, vultus modo truculentus, oculi truces, genae lividae; modo pallens et tristis vultus, praecipuae sub morbi initio; acies oculi imminuta; delirium ferocissimum; jactatio continua; convulsiones. Inflammatio aut cor et vasa majora, aut pericardium corripit. In cadaverum sectione cordis superficies pure obducta, vel pericardio adnexa, aut gelatinosa tunica cincta, maculas albas, vel filamenta pilis hispidis simillima demonstrat. Pericardium rubrum, vasis turgidis cinctum, vel sero, aut sanguine plenum; textus carnosus cordis flaccidus, exesus. Cor, mole auctum, abnorme, vasa majora ossea, vel concretionibus poliposis referta videntur.

CAUSAE.

Vulnera mediastini; pleurae vel pulmonum inflammatio; exhantemata retropulsa; synocha vehemens; animi pathemata violentia; blenorrhoea genitalium diuturna; catarrhi pertinaces, rheumatismus; siphilis.

PROGNOSIS.

Eventus ut plurimum anceps; resolutione raro terminatur cordis inflammatio. Si a vulnere, lethalis, intra aliquot dies cum gravi haemorragia mors accedit.

CURA.

Venae sectio alternis horis repetita; arteriae temporalis, vel venae jugularis sectio; hyrudines; laxantia lenia, et enemata emollientia; regimen antiphlogisticum. Ad minuendam cordis et vasorum contractilitatem juvant, pulveris digitalis purpureae pauca grana; aqua lauri cerasi; acidum prussicum aqua dilutum; diluentia; si seri effusionis

in pericardio signa adsint, scilla, gummi ammoniacum; calomelani pauca grana.

FRANK, Loc. cit. lib. II. ord. III. §. 204.
Salius Diversus, sup. cit. pag. 246.
SENAC, Traité de la structure du Coeur, 4. Vol. 2. Paris 1749. Vid. Vol. II. lib IV. cap. VII. pag. 380.
SPRENGEL, Instit. Medicae 8.° Vol. 4. Amstelod. 1813. vid. Vol. IV. cap. VII. §. 256.
TESTA, Delle malattie del cuore. 8.° Tom. 3. Bologna 1810.

CAP. XVII. DIAPHRAGMITIS.

SYMPTOMATA.

Dolor transversum epigastrium, et ilia ipsa occupans, acutissimus, motu corporis, inspiratione, tussi, sternutatione, quolibet vomendi conatu auctus; respiratio brevis, interrupta, suffocativa, quiescente abdomine, solo quasi thorace peracta; singultus; deglutitio impedita propter diaphragmatis lacertos, annuli ad instar, aesophagum constringentes. Si inflammatio levis est, strepitu quodam, cibi in stomacum detruduntur; si vero gravis, deglutitio difficillime peragitur; disphagia; hydrophobia; anxietas et inquietudo magna; nonnunquam delirium fe-

rox, risus sardonicus et convulsiones; summa praecordiorum tensio, dolor et retractio, ut nullum quidem tactum perferre possint; pyrexia vehemens; calor continuus, ardentissimus; lingua arida et sitis ingens aegrum vexant; pulsus creberrimi; duri; vomitus inanes, vel aeruginosi. Morbo aucto, frigidus sudor frontem occupat; membra convelluntur, et frigent; ungues lividae, sopor, tremor tendinumque subsultus; tandem singultus inter et deliria mors scenam claudit.

CAUSAE.

Sanguinis naturalia profluvia suppressa; potus frigidi calente corpore; perspiratio imminuta, vel suppressa; ventriculi, hepatis, vel pleurae inflammatio; vulnera; contusiones; rheumatismi, vel arthritidis repercussio.

PROGNOSIS.

Pyrexia continuo vehemens, vigiliae protractae, singultus, extremorum perfrigeratio perennis, calor interne auctus, anxietas magna, subita doloris cessatio sine ullo reso-

lutionis signo; sudores frigidi et circa pectus erumpentes, funesta sunt symptomata. Urina post quartum morbi diem sedimentum copiosum deponens, haemorrhagiae e naribus, vel e venis haemorrhoidalibus; sudor ex universo corpore promanans, valetudinis spem afferunt.

CURA.

Ut in aliis viscerum internorum inflammationibus.

Bartholetti, Method. in Dyspnoeam. 4.° Bononiae 1633. Lib. IV. Cap. XX. pag. 245.
Commerc. Liter. Noric. 1731. pag. 208.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. III. pag. 179.
Huxam, Observ. de aere sup. cit. Vol. II. pag. 156.
Eyerel, Comm. sup. cit. Tom. II. pag. 292.

CAP. XVIII. PERITONITIS.

SYMPTOMATA.

Rigore, horrore, calore aucto aliisque inflammationis signis adoritur; dolor acutus, fixus, pungens ad quamdam abdominis partem, tactu, vel quovis motu corporis auctus; sub inspiratione, tussi et corporis erectio-

ne magis urgens; abdominis inflatio tensa et dolens, ut nec tangi prae dolore potest; lingua arescit et sorde obtegitur; vomitus biliosi; sapor in ore amarus; virium prostratio; delirium; anxietas; si gravior inflammatio, singultus; convulsiones; pulsus sunt exiles et contracti; sopor, et lethalis gangraenae symptomata.

CAUSAE.

Vis externa abdomini illata; concussio; vulnera; compressio; musculorum abdominalium nimia distensio; nisus vehemens et diuturnus; intestinorum morbi; constitutio epidemica; exanthemata retropulsa; glandularum mesenterii durities; omenti inflammatio.

PROGNOSIS.

In levi peritonaei inflammatione minus periculi, quam in gravi, inesse solet, praesertim si inflammatio circa musculos abdominales tantum residet. Peritonaei cum intestinis et cum omento coalitus, frequens est terminatio; succedit nonnunquam colluvies serosa, aut lymphatica in abdominis

cavo, quae hydropem constituit. Si peritonitidi suppuratio succedit, tunc graves vastique abscessus oriuntur, qui vel ascitim purulentam, vel fistulas sanatu difficiles producunt inter abdominis, vel lumborum musculos sinuose serpentes.

CURA.

Eadem est ac in aliis inflammationibus. Venae sectio etiam repetita; semicupia tepida; fomentationes emollientes abdomini; enemata laxantia; regimen antiphlogisticum; inunctiones ex oleo: subacta vero inflammatione vescicatoria loco dolenti, inunctiones cum linimento volatili camphorato, vel tinctura opiata commixto.

Baillie, Anat. Patolog. sup. cit.
Bichat, Anatomie generale. 8.° vol. 4. Paris 1801. Vid. Vol. I. pag. 85.
Le Cat, Recueil periodique. 8.° Paris pag. 356.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. IV. §. 212. seq.
Walter, De morbis peritonaei etc. 4.° Berol. 1783.

CAP. XIX. PERITONITIS PUERPERALIS SIVE FEBRIS PUERPERALIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens cum horrore et rigore invadens, tertio, ut plurimum sexto, aut quinto post partum die; calor intensus; cephalalgia; inquietudo; dolor per totum abdomen tensum et tumidum; pulsus contractus, vix adeo frequens, interdum plenus et facile mutabilis; cutis, initio arida et sicca, nonnunquam vero sudoribus madet: aliquando signa gastrica initio morbi apparent; lingua sordibus scatet et muco albido, vel fusco operitur; ructus amari et foetidi; sapor in ore similis; halitus oris malus; praecordia tensa, turgida cum ponderis sensu molesto. Alvus hoc in morbo cita esse solet, torminibus ventris tensi, vel vehementi intestino ardore conjuncta. Urina vel lochiis mixta, vel tenuis, cruda aut plane suppressa; labescunt vires, facies collapsa terrorem aut metum exprimit; anxietas summa; oculorum acies imminuta; respiratio brevis et anxia; tussis sicca; animi

dejectio cum suspiriis reiteratis; dorso haud valet incumbere; stupet crus unum, aut alterum, tumet et dolet, ex quo difficilis erectio. In multis lactis secretio intercipitur, mammae dolent, tument, vel flaccidissimae concidunt, et sudor seri lactis odorem refert. Morbo ingravescente summa adest virium jactura; contremiscit aegra, ac frequenti vertigine, animi deliquio, sopore, singultu et convulsionibus corripitur; vox debilis est et rauca; sudores copiosi, miliari exthemate comitantur, quod nullo modo morbum levat, vel solo in pectore ortum maculas paulum elatas refert. Ad extrema ventum est, si dejectis viribus, meteorismus continuo augetur, vel vomitus inanes, porracei, aut foetidi laticis adsunt; foeces sunt immodice foetidae, et inscia aegra secernuntur; cruentum et acerrimum serum copiose ex utero promanat; frigent extrema et resolvuntur; sub nova tandem exacerbatione, aegra vel convulsa, vel subito extinguitur.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt, gravidarum vivendi ratio, aut victus vitia; vita

sedentaria, ignavia, vinum aut potiones calidae nimis liberaliter adhibitae; animi perturbationes. Causae occasionales sunt, partus nimis acceleratus, vel difficilis, rudis uteri tractatio, et praematura, aut violenta placentae extractio post absolutum partum; saburrae gastricae; vigiliae protractae; calor externus nimius; juscula nimis calida; purgantium et remediorum stimulantium abusus; copiosum sanguinis profluvium; lochiorum suppressio; genitalium subita refrigeratio; peculiaris aeris constitutio. Causa proxima, peritonaei, vel partium adjacentium inflammatione consistit.

PROGNOSIS.

In febri puerperali anceps est prognosis; ex inflammationis violentia, aegrae viribus aliisque signis plus minusve violentis est judicandum. Respiratio libera sine pectoris oppressione; pulsus fortes et molles; dolores abdominis, ac tensionis remissio; sudores copiosi, vel diarrhoea biliosa; lochiorum fluxus; urina sedimentum crassum et lateritium deponens, ac virium restitutio fausta sunt signa. Subita virium prostra-

tio; abdomen nimis dolens et tensum; ingens interni caloris sensus; anxietas et dispnoea; vultus tristis, torvus, distortus; cutis arida, aut sudoribus frigidis colliquescens; maculae lividae late cito conspicuae; pulsus exilis et inaequalis; singultus suspiriis interruptus; animi deliquium frequens et nervorum distentiones, infausta sunt signa.

Cadaverum sectiones peritonaeum suppuratione, aut sphacelo correptum demonstrant. In toto abdominis cavo, in utero, in capite et in intestinis, colluvies quaedam seroso-lactea cum floccis caseum referentibus observatur.

CURA.

Hujus morbi medela, secundum ejus vim summa cum cautela est dirigenda. Si signa inflammationis et dolor nimis urgeant; si plethorica et robusta sit puerpera; si adsit lochiorum suppressio, tunc venae sectio secundum aegrae vires et symptomatum violentiam, ac methodus antiphlogistica sunt adhibenda; si gastrica apparent symptomata, alvi purgatio lenis, oleum ri-

cini, emetica repetita, sed praecipue radix ipecacuanhae, ad vomitionem nauseamque ciendum; laxantia lenia et enemata emollientia. Si magna superveniat debilitas et nervosae febris symptomata urgeant, tonica, praecipue cinchona cum camphora; epispastica parva repetita; vinum, et opium portiunculis secunda quaque hora repetita alternatim; moschus; diaeta nutriens; mundities summa; aeris puri libera admissio, et alia remedia typho aptata. Interdum radicis columbo pulvis ad scrupulum unum, ter in die ad diarrhoeam profusam moderandam.

Boer, Natur. obstetr., 8°. vol. 2. Viennae 1812. Vid. Tom. I. pag. 274. seq.

Clarke, Practical essay on the menagement of pregnancy. 8.° Lond. 1793.

Frank, Epit. sup. cit. lib. II. ord. IV. §. 212. seq.

Eyerel, Comment. sup. cit. Tom. VI. pag. 297. seq.

Hunter, Medical Comment. von Edinb. III. 13. pag 349.

Millar, Observations on the diseases in Great Britain. 8.° Lond. pag. 313.

Morgagni, Epist. Anatom. med. 4.° Lugd. Bat. 45. 4. 16.

Simpsom, Diss. de febri puerperarum Edinb. 1793.

Walter, Oper. sup. cit.

CAP. XX. GASTRITIS.

SYMPTOMATA.

Dolor ardens, pungens, immanis, et fixus ardor circa praecordia, et illam regionem, quae cordis scrobiculum comprehendit; doloris exacerbatio, statim ac aliquid ei ingeritur; pyrexia vehemens; vomitus dolentissimus, vel vomendi conatus statim ab omni ingesto, dein vero bilem acerrimam ejiciunt aegri, anxietas molestissima et perpetuo circa praecordia, ut ne levissimum quidem tactum ferant, tensa simul sunt, et calidissima; corporis jactatio, sitis magna, vigiliae, summa virium prostratio, pulsus durus, parvus, frequens, vel inaequalis comitantur; alvi adstrictio, quandoque etiam inflammatio faucium, anginae speciem praeseferens. Remittunt ad tempus haec mala, mox cum vehementia repetunt suumque impetum resumunt. Accedunt subinde, singultus dolorificus, refrigeratio extremorum cum sudore frigido; delirium, animi defectio, et convulsio. Saepe urina plane supprimitur et febris tunc continua est,

caloris intestini perpetuum excitans sensum; respiratio crebra ; vox debilis , clangosa ; omnia membra interdum convelluntur ; desipit aeger , nonnunquam nervi resolvuntur ; sopor , sensuum hebetudo , icterus , ructus amari , lingua sordida , oris alitus foetidus, et maculae lividae per totam corporis superficiem sparsae accedunt.

CAUSAE.

Aquae frigidae ingurgitatio, calefacto prius a laboribus corpore ; stimuli peregrini in ventriculum agentes, uti venena et acria ingesta , praecipue emetica ; nitrum et opium ; hydrargirum muriaticum ; purgantia drastica ; cibi nimis acres ; aromatum abusus, vel potuum spirituosorum et fermentatorum ; vis externa, ictus et contusiones ; summa ventriculi coarctatio ; animi pathemata praecipue ira ; exanthemata retropulsa, uti erysipelas, variolae, morbilli etc., rheumatismus, aut podagra repercussa ; nimia ventriculi distensio ; haemorrhoidum , vel mensium suppressio .

DIAGNOSIS.

Gastritis differt a diaphragmitide; in hoc enim morbo dolor transversum epigastrium, et abdomen constringit, respiratione semper intercepta, musculorum facie, et convulsionibus comitatur; ventriculi functiones laesae, vomitus porraceus et impotentia aliquid statim ingestum retinendi, gastritidem annunciant. Ab hepatitide, et enteritide facilius distinguitur, nam illa doloribus scapulae et brachii destri ipsarumque surarum, haec vero inflatione abdominis dolentissima, dolore circa umbilicum molesto et ischuria perpetua jungitur.

PROGNOSIS.

Si dolor gradatim remittit, et pulsus magis plenus et mollis evadit; si aliquid ingestum retineri potest et alvus sponte fluit; si urina copiosa, vel sedimentum deponens adparet; si totum corpus profuso et calido sudore undique manat, resolutio est expectanda.

Si inflammationis symptomata per heb-

domadam persistunt, etiam mitiora cum rigoribus et doloris remissione, si dolor pungens et continuus in pulsatorium mutatur, anxietate, sensuque gravativo manentibus, suppuratio minitatur. Abscessus si in ventriculi cavo aperiatur, materies purulenta per vomitum, vel per intestina rejicitur; si in cavum abdominis, vel in vicina organa rumpatur, ascites purulenta, tabes et febris hectica comitari solent. Ulcera gigni haud rarum est, quae frequenter tunicas ventriculi depascunt, et pustulae in tota interna facie nascuntur; dolores adsunt perpetuo rodentes, vomitus frequentes et saniosi, vel sanguine mixti cum tetro oris halitu; erecto corpore stare nequit aeger, sed semper pronus sedere debet.

Dolor molestissimus ab ingestis, quandoque statim a pastu, vel post unam alteramve horam; stomaci inflatio et tensio, praecipue si fermentantia, vel aliquid incitans sumpserit; ructus acidi et foetidi, vomitus aquosi, vel acidi aliquot horis post cibum sumptum; alvus interea adstricta, ingens corporis lassitudo; animi dejectio; facies pallida et livida; nullum levamen a remediis; singultus molestus, et dolentissi-

ma vomituritio, scirrhum ventriculi, aut loca vicina obsidentem indicant. Durities cardiae, pylori, vel alius partis inflammationem graviorem ventriculi sequi solet. Si remediis violentissimis in auxilium vocatis pyrexia, dolor, atque calor ingravescunt, gangraena est timenda, et gangraenae inceptae signa, sunt doloris acerbissimi et caloris subita cessatio; summa virium prostratio et debilitas; regionis epigastricae flacciditas; pulsus vix numerandus, et intermittens; lipothymiae frequentes; facies hippocratica, extremarum partium algor, sudores frigidi, delirium; vomitus nonnunquam materiae atrae. Haec symptomata ubi accidunt actum est de aegroto. Corpora dissecta lividas maculas in cute; ventriculum valde rubicundum, lividum, variis modo rubris, modo nigris maculis distinctum, ac vasa sanguinea, et capillaria multo sanguine turgida exhibent.

CURA.

Missio larga et repetita sanguinis (non nos deterrere pulsus parvus debet); postea hyrudines, cucurbitulae cruentae, et ve-

sicatoria parti affectae sunt admovendae; abdominis fomenta; pediluvia; balneum tepidum; enemata laxantia et emollientia; diluentia blanda parva copia. Si suppuratio minitetur, decocta mollissima ex althaea, malva etc. parca copia simul sed repetitis vicibus danda. Si rupto abscessu, ulcus in ventriculo nascatur, sola juscula carnea tenuissima cum ovi recentis vitello; clisteres nutrientes; lac asininum cum aqua ex aere fixo impregnata; copiosa ingesta, et remedia nimis activa praecipue incitantia sunt periculi plena, et inflammationem gravissimam excitant. Si vomitus, et dolor per intervalla solummodo redeunt, remedia opiata.

Inflammatio erysipelatosa ventriculi signis sequentibus stipatur; caloris, dolorisque sensus in ventriculi regione; vomitus, anxietas; anorexia; pyrexia mitis; nonnunquam in faucibus apparet eruptio erysipelatosa quae saepe per totum oesophagum est diffusa; eodem tempore omnibus ingestis acribus ventriculo inusitata est sensibilitas. Diluentia blanda, et tepida solummodo postulantur, ni altera gastritidis species minitetur; si typhum, vel synocham comitetur, acida antiseptica, tonica sunt usurpanda.

Amatus Lusitanus, Cen. III. Cur. 93. IV. Car. 81.
Baillie, Anat. Patol. sup. cit.
Ballonius, Oper. sup. cit. Tom. II. pag. 50. seq.
Burserius, loc. cit. Tom. III. Cap. VI. §. 72. seq.
Eyerel, Comment. sup. cit. Tom II. p. 424.
Frank, loc. sup. cit. Lib. II. Ord. IV. §. 229. seq.
Hoffmann Frid., Diss. Physico Medicae selectae. 8.° Vol. 4. Lugd. Batav. 1713. Vid. Tom. III. pag. 204.
Wan-Swieten, Op. sup. cit. Tom. III. §. 951. seq.

CAP. XXI. ENTERITIS.

SYMPTOMATA.

Intestinorum inflammatio nonnunquam subdule invadit cum modicis horroribus, iisque interdum ex rigore quodam ortis; febris non magna est, sed lenis. Dolor abdominis acutus, fixus, continuus, urens, tactu auctus, nullomodo remittens maxime circa umbilicum, vel ilia; decubitus supinus, vel aeger pronus abdomini incumbit; ructus assidui, inanes; vomitus; sitis magna; lingua aridissima; alvus pertinaciter adstricta; febris aucta; abdominis inflatio, et flatibus murmurans; summa virium prostratio; pulsus frequens, durus, et contractus, ali-

quando vero morbi initio parvus, inaequalis, fallax; urina valde rubra; nonnunquam singultus. Ingravescit quotidie dolor et atrocior fit; delirium; cardialgia; respiratio difficilis fit et anxia; magna et molesta abdominis tensio; convulsiones praecipue si sensiliores, vel infantes aggreditur; vultus distorsio; oculi obtutu truces evadunt; gulae constrictio, et floccorum lectio.

CAUSAE.

Easdem causas agnoscit ac gastritis; alimenta nimis acria; medicamenta et venena ingesta; hernia incarcerata; volvulus; colica; frigus abdomini applicatum; excrementa corrupta; bilis et humores intestinales depravati; calculi biliarii intestinis adhaerentes; corpora peregrina ingesta, uti ossicula, acus et similia; exanthemata retropulsa; ulcera exsiccata; rheumatismi haud rite soluti, huic morbo originem praebent.

DIAGNOSIS.

Hujus morbi diagnosis nonnunquam difficilis est, doloris enim absentia, dum sui

non compos est aeger, aut delirio tenetur, difficultatem gignit. Ab hepatitide vero dignoscitur, doloris absentia ad summum humeri jaculantis; a gastritide, dolore torquente et urente circa umbilicum; a colica pyrexia et pulsu.

PROGNOSIS.

Signa fausta, sunt dolores migrantes sensim sensimque cessantes; venter ad tactum minus dolens; alvus clismatibus respondens, sudores calidi, atque profusi, pulsus plenus et mollis, urinae turbatae copiosa dimissio. Infausta sunt ventris tormina saeva, abdomen tensum tactumque refugiens; alvus pertinaciter clausa; urinae suppressio; singultus perpetuus; delirium; subsultus tendinum; convulsiones.

Intestinorum inflammatio haud facile terminatur resolutione, nonnunquam vero profusi sudores, narium haemorrhagia, haemorrhoidum fluxus, diarrhoea, macularum scorbuticarum eruptio et arthritis morbum solvunt.

Frequentior est trans externam intestinorum tunicam laticis lymphatici, vel gela-

tinosi exudatio, qui totum intestinorum tractum obducit, vimque musculorum penitus infringit, unde intestina in cadaveribus plurimum spissata conspiciuntur. Interdum lacteus humor omnia obducit intestina, et peritonaeum implet. Haud raro coalescunt, vel intus suscipiuntur intestina ob vehementem contractionem, vel quia sunt magnopere distenta. Intestinorum suppurationis indicia vulgaria sunt: abscessus in intestinis factus si in cavum intestini distillet, dysenteria gignitur diuturna cum saniei et pustularum ejectione. Si in cavo abdominis rumpitur, ascites oritur purulenta, unde colici dolores pertinaces, inflatio perpetua ventris, crurum imbecillitas, vel brachii paralysis et alvus cito saniosa subsequuntur. Ulcus denique in externis partibus nonnunquam prorumpi videtur, tunc fistula gignitur in intestina penetrans et excrementa cum sanie emittens, febrique hectica, ac tabe terminatur.

Intestinorum induratio haud raro observatur, quae dum accidit circa umbilicum ponderis sensus et praessionis perpetuus est, alvus pertinaciter adstricta; ructus continui, ventris inflatio et dolor aliquot ho-

ras post pastum; vomitus, quo chymus, et quaedam muci speciem referentes cum levamine ejiciuntur; summa virium debilitas et corporis macies. Dolores subito cessantes meteorismo adaucto; extremarum partium frigor, livor et stupor; faciei collapsus, singultus nervorumque distensiones, oculorum acies imminuta, sudores frigidi et glutinosi, qui toto e corpore manant; vomitus materiae biliosae, aut insipidae, vel stercoraceae cum anxietate summa et frequenti deliquio, gangraenam comitantur.

CURA.

Sanguinis missio generalis et topica; laxantia uti serum lactis cum tamarindo; cassia, manna, oleum ricini praecipue; enemata emollientia; refrigerantia; semicupium vel balnea tepida; abdominis fomenta; diluentia. Si enteritis a retropulso exhanthemate, vel ab inflammatione rheumatica oritur, vesicatoria, sinapismi; si ab haemorrhoidum, mestruorum, vel lochiorum suppressione hyrudines ano, perineo, vel pudendis sunt admovendae. Remedia stimulantia irritantia et calefacientia nocent vim-

que inflammationis adaugent. Cibus tenuis sit et concoctu facilis, juscula carnea tantum parva copia sunt danda; an opiata per anum injecta?

ARAETEUS, De causis et signis morb. L. II. Cap. VII.
BURSERIUS, loc. cit. Vol. IV. Cap. VII. §. 82. seq.
CORKE, Diss. de intestinis, eorumque affectibus. 8.° Leid. 1684.
FRANK, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. IV. §. 238.
SYDENHAM, Oper. sup. cit. Sect. IV. Tom. II. p 214.
VELSIUS, Diss. de mutuo intestin. ingressu. Lugd. Batav. 1742.
VOGEL, Praelect. sup. cit. Tom. I. §. 211-217.
VAN-SWIETEN, loc. cit. Tom. III. §. 959. seq.

CAP. XXII. HEPATITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; hypocondrii dextri ardor, tensio, dolor, saepe pungens pleuritici instar, quovis corporis motu ingravescens, saepius obtusus, et hypocondrio presso auctus; dolor ad claviculam, et summum humeri dextri, et aliquando ad renem etiam dextrum; decubitus in latus sinistrum difficilis; spirandi difficultas sub inspiratione aucta; gravis vigilia et delirium; tussis fere, sic-

ca; anxietas; nausea; vomitus biliosus, alvus plerumque adstricta; urina parca, ruberrima, felle quasi tincta; color faciei, oculorumque subflavus; os, et fauces arescunt; lingua, quae crusta plerumque albicat et cutis itidem arent; pulsus frequens, fortis et durus; aeger in latus affectum facilius plerumque cubat; sitis urget. Haec sunt signa hepatitidis generalia; eadem vero pro varia hepatis parte, quam inflammatio occupaverit haud parum variantur. Quando afficitur superficies convexa, dolor magis est lancinans; tensio major percipitur; tumor saepe observatur; dispnoea, singultuque magis violentis. Quando vero inflammatio sedem in superficie concava figit, dolor minus pungens; respiratio magis libera, sed anxietas, et nausea cum vomitu saepe bilioso urgent. Si inflammatio partem diaphragmati proximam afficit, respiratio tussi sicca et frequenti, difficultate inter inspirandum, et dolore acuto modo ad claviculam, et summum humeri dextri, modo ad alias thoracis partes, vibrato turbatur. Nonnunquam diaphragma tanta vi afficitur ut aeger anteriora versus, qui corporis situs, quippe dolor levatur, solus ferri po-

test, arcus instar, flectatur et spiritus diro, ac frequenti singultu interrumpatur. Adest quaedam levioris hepatitidis varietas, quae febrim intermittentem nonnunquam comitari solet.

CAUSAE.

Omnes inflammationem producentes, tubercula scirrhosa; hepatis adhaesiones; vis externa capiti vel jecoris regioni illata; frigus corpori praesertim calenti variis formis admotum; potus nimirum gelidi; aer frigidus, et humidus; intemperantia; ebrietas; graviores animi affectus; exercitatio corporis nimia; concretiones biliariae in ductibus biliariis, et vescica fellea; hydrargiri abusus; solis radii; diaeta prava; febres intermittentes. Robustos, aetate florentes, et temperamento sanguineo praeditos, qui ex regionibus frigidis in orientis, occidentisque calidas regiones migrant, hepatitidi acutae prae aliis opportunos; infirmos autem et hypochondriacos praecipue si tristitia, aut morbis fractos in cronicam procliviores existere medici asserunt.

DIAGNOSIS.

A Pneumonia dignoscitur dolore minus acuto ad claviculam, et summum humeri dextri ascendente; singultu, tussi sicca, hypocondrii dextri dolore pressu aucto; decubitu in latus sinistrum difficili; bilis vomitu; dispnoea minus violenta; a splenitide tumoris et doloris situ; ab enteritide doloris torquentis circa umbilicum absentia; a gastritide hepatitis facile secernitur; in illa enim adsunt ardor et dolor ventriculi, pressu ingestisve quibuslibet aucti, pulsus exilis, durus, ac frequens; ab hystericis et hypocondriacis symptomatibus, febre comitante.

PROGNOSIS.

Haec a causarum notitia, symptomatum violentia et duratione, aegri aetate, corporisque constitutione instituenda est. Si vires morbis praegressis et longa in regionibus calidis commoratione sunt admodum fractae, malum est. Acutus hypochondriorum dolor, ad clavicolam et summum humeri

transvolans cum tussi sicca, delirio, respiratione difficili, calore corporis urente, summa alvi duritie, cutisque siccitate aegrum in praecipiti versari indicant. Haemorrhagiae e naribus, vel e venis haemorrhoidalibus; sudores copiosi, vel diarrhoea biliosa saepe morbum fauste solvunt.

Hepatitidis terminationes, similes fere ac in aliis phlegmasiis, resolutio nimirum, transudatio, suppuratio, scirrhus et gangraena esse observantur. Hepatitidis resolutio aliqua copiosa exinanitione, bilis dejectione, aut vomitu, sanguinis e naribus, vel e vasis hemorrhoidalibus profluvio, sudore totius corporis tepido, fluido et ubere, viscida exudatione ab hepatis superficie et sputo interdum copioso fieri solet. Aliquando erysipelas hepatis inflammationem solvit; salubres insuper urina lateritia, ipseque vomitus si ante decimum quartum diem existerent. Transudatio lymphae, et gelatinae haud rara immo satis frequens est, praesertim dum lentior esset morbi mora. Coalescere solet hepar cum ventriculo, intestinis, diaphragmate. Colluvies nonnunquam serosa vel in duplicata peritonaei hepar obducentis tunica, vel in speciali sacco, hydatidi-

bus constituto. Suppuratio hepatis terminus longe frequentior est. Pyrexia gravior, nil viribus imminutis per paucos dies; febricula vespertina; genarum rubor, sudor lentus, alvi profluvies, horrores, mutatio doloris acuti in obtusum, saepe pulsatilem et gravativum, sunt signa jam peractae suppurationis. Si inflammatio faciei jecinoris convexae insidet, et latius in peritonaeum serpit, primum tumor et postea fluctuatio percipiuntur, ita ut pus a chirurgo facile eliminari possit. Ubi malum concavam hepatis partem occupat, tumor et fluctuatio multo rarius observantur; sanies in abdominis cavum effunditur, et valde periculosum est; inflatur abdomen et tenditur, idropicam colluviem mentiens; animi deliquia, sudores frigidi accedunt; facies collabitur et mors imminet. Si abscessus viam sibi rodendo aperit per diaphragma, hepatis vitium in pulmonum tabem ulcerosam transire videtur. Si vero ulcus cum lobo pulmonis dextro inferiori communicat, sanies in ipso pulmone effunditur, et tussi per bronchia ejicitur.

Gangraena tandem hapatitidis exitus rarior esse videtur; huic morbo interdum, ut

in aliis inflammationibus supervenire potest; tunc adest subita doloris cessatio, accedentibus simul ictu arteriarum parvo, tremulo et admodum frequenti, extremorum frigore, syncope, et paulo post mors scenam solvit.

CURA.

Sanguinis missio generalis, et topica: quoad sanguinis mittendi quantitatem, nulla quidem regula generalis tradi potest: eadem autem signorum magnitudine, seu gradu, morbi tempore, aegri aetate et viribus, regatur oportet; cathartica mitia et enemata; fomenta; diluentia et refrigerantia, qualia sunt haustus salinus diaphoreticus, citri, vel aurantiorum succus aqua et saccharo paratus, in omni acuta hepatis inflammatione sunt prorsus necessaria; nitrum et tartari crystalli magna aquae copia soluti; antimonium tartarisatum portiunculis ad nauseam ciendam; epispastica parti affectae; regimen antiphlogisticum. Morbo in suppurationem abeunte; abscessus si exteriora versus protrudat, cataplasmata, et fomenta sunt utenda. Peracta suppuratione, labescentes aegri vires, cinchona, vino generoso,

et diaeta nutriente sunt sustinendae. In India Orientali curatur hydrargyro interne et externe adhibito ad levem tantum oris exulcerationem, vel ad salivationem leniter ciendam, et aliquandiu sustinendam. An acidum nitrosum?

CAP. XXIII. HEPATITIS CHRONICA.

SYMPTOMATA.

Haec saepe nulla, quibus dignoscatur, signa praebet, aliquando tamen eamdem esse suspicari potest ex hepatitidis causis quibusdam praegressis, ex sensu quodam plenitudinis, vel gravitatis in hypocondrio dextero et doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte saepe perceptis; ex dolore quodam a presso hypocondrio dextro vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leniori cum dictis signis subinde infestante. Lentissime incipit variis digestionis vitiis, ponderis sensu in regione epigastrica, flatibus copiosis, alvo pertinaciter adstricta, et ciborum cupiditate modo

perversa, modo plane suppressa. Lingua et gingivae plerumque sunt aridae, et sordibus, ex squallore ventriculi ortis, multum obducuntur, quare aeger siti continua laborat. Dolor per plures hebdomadas haud manifesto percipitur, nisi dum sedet, aut erectus altius inspirat. Morbo autem progrediente symptomata vehementiora evadunt; os mestum et oculi hebetes fiunt; scapulae elatae cum brachiis extenuantur, et frequenter stupent; febris antea levis vel vix percipienda, jam ingravescit; dolor lateris urgentior; tumor partis tam evidens fit ut solo tactu detegatur, aegro in dorsum incumbente, genibus retractis et flexis ita, ut musculi abdominis laxentur et manui obediant; pedes etiam marcescunt; dolent surae; ulcera spontanea vix debellanda in suris et malleolis nascuntur; decubitus in utroque latere, sed praecipue in sinistro difficilis; vomitus frequentior bilis corruptae, vel cruoris atri, aut laticis aquosi; saporem in ore amarum, saepe etiam recurrentes cardialgias persentit: si alvus solvitur, dura sunt quae ejiciuntur, decolora aut albescentia; urina turbida est, et lactea, aut biliosa; tussi vexatur pertinaci, quae dolores ilei, aut hy-

pocondrii auget; summa spirandi difficultas si scalas ascendit; tandem atrophia, febre lenta, saepe hydrope, viribus resolutis, macie confectus aeger debitum naturae persolvit.

CAUSAE.

Huic morbo praecipue sunt obnoxii, homines temperamenti melancholici, lentis morbis confecti, et hii quorum animi adversis rebus diu oppressi fuerunt. Causae sunt: spirituum ardentium, vel cibi usus immodicus; hydrargyrus nimis libere adhibitus; ictus regioni hepatis, vel capiti inflicti; evacuationes solitae repressae, uti haemorrhois, fluxus mensium etc.; frigus corpori calido, vel extrinsecus, vet intrinsecus admotum; calculi biliarii ductus hepaticos occludentes; ascarides lumbricoides, vel fasciolae hepaticae; animi pathemata; vehementes aestivi, vel furni calores.

PROGNOSIS.

Ab aegri aetate, morbi diuturnitate, et symptomatum vehementia est deducenda. Viribus multum extenuatis, magna macie

superveniente, et hydrope constantissimo sequenti, perfecta curatio vix speranda est.

Terminationes eaedem sunt ac in acuta hepatis inflammatione.

CURA.

Hydrargyrus interne, et externe est administrandus, donec excitetur levis salivatio; alii unguentum hepatis regione infricandum praecipiunt; alii cuilibet parti admodum aeque pollere existimant; cave tamen ne tanta in copia adhibeatur, ut gravem ptyalismum inducere possit; ubi virium et actionis defectus in corpore toto, tonica et amara, uti cortex peruvianus, radix columbo, radix serpentariae virginiensis, et ferri praeparationes; epispastica; ictus electrici; extractum hyosciami. Si vomitus, tussis et singultus urgeant, utile est opium, enematum forma, vel ore assumptum. An acidum nitrosum?

Baillie, Anat. Patol. sup. cit.
Bianchi, Historia hepatica 8.° vol. 2. Genevae 1725.
Bontius, Medicina Indorum, 12. L. B. 1642. c. 7.
Brondfort, Diss. de Epatitide, 8.° Edin. 1803.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. IV. §. 245. seq.

GIRDLESTONE, Saggi sull'Epatitide. 8.º Pavia 1793.
MACLEAN, Diss. de Epatitide, Edin. 1790.
REIL, Oper. sup. cit. Tom. II. P. II. §. 216. 233.
SAUNDERS, Traité de la structure et des malad. du Foje. 8.º Paris 1804.
WAN-SWIETEN, Op. sup. cit. Tom. III. §. 914. seq.

CAP. XXIV. SPLENITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia cum rigore, frequenter invadens; hypocondrii sinistri tensio, calor, tumor et dolor pressu et sub inspiratione auctus, ad humerum, mammam et claviculam facile extensus, modo acutissimus, modo obtusus, immo durum quid, ac tumens sub costis spuriis sinistris, versus arcus costarum seu latera indies augescens percipitur. Sitis magna, dispnoea; decubitus in dextrum latus difficilis et molestus; nausea; vomituritio, aut vomitus materiae porraceae, vel subcruentae; anxius est aeger, et colore ex viridi pallescit; si lienis pars superior inflammatur tussis, ac singultus; alvus pertinaciter dura; nonnunquam vero tumor manifestus formam ferens lienis, apparet. Absque signis nephritidis.

CAUSAE.

Quae alias viscerum abdominalium inflammationes inducunt, splenitidem progignere possunt.

PROGNOSIS.

Lien minus frequenter, quam alia viscera, inflammatione corripitur. Si inflammatio est valida, si ad dolorem regionis sinistrae epigastricae et tumorem, accedit febris ardens cum animi deliquiis, sanguinis fluxu e naribus, singultu, virium jactura, vomitu cruento, et facie decolore et livida, inter validas convulsiones, et animi deliquia subito saepe extinguitur aeger. Neglecto morbo, lien in suppurationem abire, vel obdurescere potest. Lienis scirrhus longe frequentius occurrit; tumor auctus, duritie et pondere vicinas partes laedere, et distrahere potest, et vehementissimos dolores facere. Nonnunquam vero lien dum indurescit simul mole minuitur, post lentam hujus visceris inflammationem. Ubi autem scirrhus in cancrum degenerat, tunc omnia vicina

depascit, intolerabiles dolores movet, et erosis vasis lethalem haemorrhagiam producit.

CURA.

Eadem est ac in hepatitide.

Eyerel, Comment. sup. cit. Tom. II. p. 442.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. IV. §. 251. seq.
Sprengel, Inst. Med. sup. cit. Tom. IV. Cap. XVII. §. 313.
Wan-Swieten, Comment. sup. cit. Tom. III. §. 958., p. 152., Cap. XVII., p. 313.
Vogel, loc. cit. Tom. I. §. 210.

CAP. XXV. NEPHRITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; dolor acutus, pungens, saepius obtusus in regione renis, saepe ureteris iter usque ad vesicam sequens; dolor praecipue sentitur circa posteriorem et lateralem abdominis partem, quae inter ultimas costas et os ileum jacet; mictio frequens; urinae vel tenuis decoloris, vel ruberrimae; aliquando totalis urinae suppressio, nausea, tormina, vomitus; ructus frequentes; si gra-

vius malum a calculis oritur, testiculi ejusdem lateris dolor et retractio, et cruris stupor; extremarum partium frigus, anxietas; tenesmus; decubitus in latus sanum difficilis et molestus; aeger antrorsum flexus nec pedibus incedere, nec truncum erigere potest; vomitio assidua plerumque biliosa; pervigilium cum delirio, dispnoea et quandoque deliquium animi superveniunt; pulsus ingruente morbo validus et frequens, jam debilis, intermittens, atque celer evadit. Membra frigescunt, et vix corpus sustentare valent; praecordiorum tandem constrictio, convulsiones et mors.

CAUSAE.

Hunc morbum producunt omnes causae generales inflammationis; vulnera, abscessus et contusiones renum; tumor partium vicinarum; decubitus in dorso diuturnus; equitatio diuturna et vehemens; corporis incurvati nisus; acria diuretica, uti cantharides, arsenicum, meloe majalis et balsamorum abusus; faeces induratae colo; podagra retrocedens, vel atonica; dorsi, aut lumborum subita refrigeratio; peritonaei, lienis, hepa-

tis, aut coli intestini inflammatio; vertebrae caries; calculus renum, qui vel asperitate sua irritat, et laedit renes, vel mole, vicina ipsi vasa comprimit.

DIAGNOSIS.

Nephritis distinguitur a dolore colico; nam dolores colici magis ad anteriora siti sunt, raro urinae difficultate comitantur, aut tarde primum, vel per intervalla tantum adveniunt. A lumbagine dignosci potest, mictione frequenti, dolore ureteris iter sequente, nequaquam aucto truncum erigendo. A nephritide calculosa; pyrexia dolorem comitante primo ab insultu.

PROGNOSIS.

Dolores sensim cessantes, urina copiosa et crassa; sudor calidus per totum corpus diffusus, sanguinis fluxus a vasis haemorrhoidalibus, faustum morbi eventum denunciant. Dolor in loco pulsans, sternutamento auctus; pyrexia aucta; crebrum mejendi desiderium; urinae defectus; dolor subito cessans; singultus et delirium, infausta sunt signa. Sup-

puratione, transudatione, scirrho, vel gangraena terminatur. Praecipua suppurationis signa sunt, horrores vagi; dolor in loco pungens; febris inordinate recurrens; gravitatis et suspensi velut ponderis sensus; si aeger pronum in ventrem, aut alterum in latus decumbat; inflammati renis stupor, stranguria, vel puris foetidissimi effluxus, membranaceis, aut carnosis particulis innatantibus. Nonnunquam pus per alvum descendit, vel circa dorsum collectum, fluctuantem tumorem ad lumbos porrigit, et tabem purulentam producit; si pus effusum per loca vicina late serpit, incurabiles efficit sinus. Sanies cum urina amissa haud est absolutum abscessus renalis signum, si solum spectetur, ex ureteribus enim, vel a vesica similiter affectis pus prodire potest; signa vero praegressa renum inflammationis omne dubium tollunt.

Si e vasis renalibus humores vel albuminosi, vel serosi magna mittuntur copia, tunc vel renes cum adjacentibus partibus coalescunt, cum psois musculis, colo, peritonaeo, diaphragmate, hepate et splene, vel colluvies aquosa inter membranam firmam effunditur, quae renes obvestit, et tu-

nicam adiposam, aut hydatides nascuntur magnum aliquando tumorem efformantes, quo urina intercipitur, aut aquosa evadit.

Obdurescunt renes interdum, et gravissima mala a scirrho sunt metuenda. Durities, quae circa renes oboritur, dolores haud amplius infert; aegro autem ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videtur, ac stupor adest coxendicum, et impotentia crurum; mingit pauca, et reliquo corporis habitu, aqua inter cutim laborante maxime similis existit; quin etiam temporis progressu manifeste hydropem et tabem incurrit, uti etiam ab aliis visceribus induratis contingit.

Pyrexia vehemens, praegressa summa virium jactura; dolor subito silens, ingravescente tumore abdominis ardentissimo; extremarum partium frigor; pulsus depressi et intermittentes; nervorum resolutio; animi deliquia; sudor frigidus; deliria; singultus; vomitus abnormis; perfecta urinae suppressio, vel urinae foetidae nigricantis excretio, renum gangraenam, vel sphacelum indicant.

CURA.

Sanguinis missio generalis et topica, pro morbi violentia repetenda; cucurbitulae cruentae ad lumbos; hyrudines circa anum, aut pudenda; laxantia lenia, et enemata repetita. Fomenta tepida ex emollientibus; semicupium; demulcentia blanda, uti emulsio arabica; hordei decoctum; regimen antiphlogisticum, diaphoretica lenia, exemp. gr. antimonium tartarisatum refracta dosi. Pyrexia et dolore multum levatis, opiata. Si suppurationis signa apparent; cataplasmata emollientia; clysmata ex similibus parata; balnea; suppuratione peracta ubi pus in urina videtur, diaeta nutriens; decocta mucilaginosa; aqua calcis; cinchona; aquae selteranae, vel his similes; hydrargyri praeparationes.

Baillie, Anat. Patol. sup. cit.
Eyerel, Comment. sup. cit. Tom. II. p. 486.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II. Ord. IV. §. 256. seq.
Heer, De renum morbis eorumque diagnosi etc. Halae 1790. Cap. III. p. 20.
Sprengel, Inst. Med. sup. cit. Tom. IV. Cap. XIV. §. 299. seq.
Vater, Diss. de Nephritide vera etc. 8.° Viteb. 1718.

CAP. XXVI. PSOITIS, SEU PSOAE MUSCULI INFLAMMATIO.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens, continua, aestuque intestino stipata: anxietas summa et inquietudo; dolor lancinans, pungens, ardens in regione, qua psoae musculi pone renes a vertebris lumbaribus ad femoris articulum descendunt; dolor ad summum humeri, et aliquando ad vesicam extenditur; lumbalis regio adeo sensibilis esse solet, ut tangi nequeat; stupor adest cruris et pedis lateris affecti; si inflammatio utrosque musculos occupat, aeger pedibus incedere haud valet, si dorso incumbit, nequit crus vel elevare, vel extrorsum vertere, vel lumbos flectere sine immani dolore; pulsus fit durus, frequens atque citatus; urina vel tenuis, vel flammea; nonnunquam dolores intestini abeunt in colicos cum tenesmo et sphincteris vesicae contractione.

CAUSAE.

Omnes quae actionem totius corporis augent et musculos psoas irritant, tales sunt ictus, contusiones, equitatio nimis violenta; febris puerperalis, aut calculi in renibus; nisus violenti, uti in bajulis et in hominibus, qui se laboribus exercent assiduis; coelum frigidum et humidum.

DIAGNOSIS.

Ab ischiade facile distinguitur, in hac enim dolores exacte cursum ischiadici nervi sequuntur, neque febre stipantur. Differt a nephritide calculosa, nam dolores a calculo functiones renum magis laedere multoque manifestius remittere solent.

PROGNOSIS.

Psoitis periculosior est secundum suppurationi, vel gangraenae proclivitatem. Suppuratio lentissima gignitur; pus si inter peritonaeum, et os innominatum colligitur, tunc vicinorum ossium caries et macies in-

sanabilis cum curvato dorso, et resolutis pedibus est aspectanda; si pubis ossi inhaerens ad inguina demergitur, tumorem frigidum non dolentem efficit cum scroti inflammatione; si purulenta materies secundum psoae musculi majoris, et iliaci interni tendines descendit, tumorem fluctuantem et frigidum ad coxendicem inducit; quo aperto sanies effluit, foetidissima, et tabes purulenta cum claudicatione, aut cita insequitur gangraena.

CURA.

Eamdem medendi rationem, quam aliae inflammationes postulat.

Beckwitz, Diss. de morbo psoadico. 8.° Edinb. 1784.
Dreyssig, Traité du diagnostic medicale. 8.° Paris 1804. Vid. Art. III. p. 263. seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. II., Ord. IV. §. 216. seq.
Medical Comment. etc. Edinb. vol. III., e VI.
Schoenmezel, Observ. de musculis psoas et iliaco suppuratis. Vid. Frank, Delect. Opuscul. Tom. V. p. 169.
Sprengel, Inst. Med. sup. cit. Tom. IV. Cap. XIII. p. 355.

CAP. XXVII. MYELITIS, SEU SPINALIS MEDULLAE EJUSQUE MEMBRANARUM INFLAMMATIO.

SYMPTOMATA.

Dolor modo fortis, lancinans aut pungens, modo obtusus et paullatim crescens in interno columnae vertebralis cavo, qui neque a motu neque a tactu vel pressione, sed decubitu supino augetur; caloris sensus in spina dorsi molestus, febris continua remittens, secundum morbi gradum remissionum vi atque duratione varians; pulsus duri et contracti, modo molliores et magni; insomnia; anxietas; cutis sicca; lingua arida; sitis magna, praecipue vel vespere noctuque; anorexia; urina parca et pallida, modo rubra et turbida; alvus modo soluta modo pertinaciter astricta; morbo aucto, motus artuum convulsivi; tendinum subsultus; motuum impotentia, artuum paralysis et mors. Spinalis medullae inflammatio in superiorem, mediam, et inferiorem dividi solet, prout cervicalem, aut dorsalem, vel lumbarem, spinalis medullae partem oc-

cupaverit. Dolor fixus ad vertebras cervicales, cum gravitatis et aestus in his sensu; colli rigor; movendi impotentia, ac paralysis artuum superiorum vel unius brachii, myelitidem *cervicalem* designant. Dolor costans ex fixus in medio dorso, ingens pectoris et praecordiorum oppressio, anxietas et quaedam spirandi difficultas *dorsalem* enuntiant. *Lumbaris* comitatur dolore vertebris lumbaribus fixo, ad ilia, os sacrum, pelvimque sese estendente, cum difficili corporis erectione et artuum inferiorum paralysi.

CAUSAE.

Causae occasionales sunt, contusiones, vulnera, inflammationes vicinarum partium; nervorum morbi convulsivi; exanthemata retropulsa; diathesis arthritica, vel rheumatica. Causa proxima est spinalis medullae, ejus vasorum, vel membranarum eam investientium actio nimis aucta.

DIAGNOSIS.

Myelitis a rheumatismo spinae dorsi acuto facile dignoscetur; in rheumatismo enim

dolor exteriorem dorsi partem et musculos occupat, et motu tactu et pressione augetur. Dolor ad ilia costans, et summa decumbendi difficultas in latere affecto psoitidem a myelitide distinguunt. Diaphragmitis differt ab hoc morbo, singultu, et respiratione plurimum laesa, brevi et convulsiva, tum etiam dolore diaphragmatis iter sequente.

PROGNOSIS.

Hujus morbi eventum est anceps, plerumque infaustum, intra paucos enim dies citius aegrum jugulat. Si paralysis et apoplexia sequuntur, nulla spes adest salutis.

CURA.

Hujus morbi violentiae, venae sectione pluries repetita cito est occurrendum; hyrudines vel cucurbitulae cruentae loco dolenti; diluentia cum nitro; refrigerantia; digitalis purpurea; aqua lauri cerasi; regimen antiphlogisticum; epithemata subfrigida ex salis ammoniaci nitrique solutione parata, ad locum spinae dolentem applicata; enemata emollientia, et alia remedia inflammationibus aptata.

BERGAMASCHI, Osservaz. sull' infiammaz. della Spinale midolla. 4.° Pavia 1810.
BRERA, Della Rhachialgite cenni patologici. Vedi Giornale di Medicina Pratica Tom. II. pag. 137.
FRANK, Epitome sup. cit. Lib. II. §. 141. seq.
...... De vertebralis columnae in morbis dignitate. Vol. II. Delect. Opuscul. sup. cit.
HEER, Diss. de Myelitide. 8.° Erlang. 1815.
NIELL, sur la Spinitis, vid. Journal de Medecine et Chirurg. par Corvisart 1812.

CAP. XXVIII. METRITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; hypogastrii calor, tensio, tumor et dolor; ingens vaginae calor, et os uteri tactui dolens; tensiones per ligamenta uteri et crura, per musculos etiam abdominis aegram torquentes; incessus et erectio difficiles; alvus pertinaciter obstructa; tenesmus; urinae difficultas; stranguria cum summo vesicae dolore; anxietas; vomitus biliosi; pulsus durus, creber et intermittens; sitis ingens; lingua arida et sicca; dolor capitis vehemens; vultus distorsio; mammae collabuntur et flaccescunt; suspiria frequentia; nonnunquam singultus; tendinum subsultus; convulsiones.

CAUSAE.

Contusiones; uteri compressio; partus difficiles, rudis obstetricum manus, vel incautus instrumentorum ad foetum extrahendum usus; violenta placentae extractio; perrinaei, vel vaginae laceratio; remediorum stimulantium abusus; menstrua, haemorrhoides, vel lochia suppressa; frigus corpore aestuante exceptum; ira; terror; abortus; siphilis; exanthemata retropulsa; pessarium.

PROGNOSIS.

Magna virium prostratio; vultus erubescentia; rigores frequentes, ac abdominis tumor et convulsiones infausta sunt symptomata; diaphoresis lenis; lochiorum, vel menstruorum fluxus; diarrhoea primis morbi diebus; abdomen minus tensum, et lactis secretio, faustae sunt notae. Resolutione, suppuratione, scirrho, vel gangraena terminatur. Si uteri inflammatio resolvitur septimo, nono, vel decimoquarto die judicatur lochiis, menstruis, aut haemorrhoidibus restitutis, vel erysipelate suborto; nonnun-

quam universus, et aequalis sudor, cum purulento in urinis sedimento, vel foetidi humoris, aut sanguinolenti ex vulva fluxus morbum solvunt. Suppurationis notae eaedem sunt, quae in aliis inflammationibus, materies purulenta variis intervallis e vagina eliminatur, interdum etiam per alvum, vel ascitem purulentam producit. Ulcus uteri internum lethale.

Ponderis sensus in pelvi; tumor in uteri regione durus, inaequalis, prominens, rubicundus; cruris unius, vel alterius stupor, dolor, oedema; fluxus materiae albidae, vel tenacis; menstruorum defectus; facies pallida, aut livida; totius corporis macies; haec omnia si adsunt, uterum scirrho laborare creditur. Si vero ulceratus est, cancer cognoscitur doloribus perpetuo rodentibus, diu, noctuque saevientibus; febri hectica; sanie tenui et foetida, vel cruore e vagina; vigilia assidua, vitae taedio, et ciborum fastidio.

CURA.

Sanguinis missio generalis et topica; abdominis fomenta; diaphoretica lenia, qua-

lia antimonium tartarisatum opio conjunctum; laxantia lenissima, diluentia blanda, diaeta blanda et nutriens.

Baillie, Anat. Patol. sup. cit.
Berhends, Dis. de uteri inflammat. 8.° Franc. 1800.
Brera, Commentarii medici Dec. I. T. II. n. 4.
Eyerel, Comment. sup. cit. cit. T. II. p. 534.
Frank, Epit. sup. cit. L. II. Ord. IV. §. 222.
Haller, Coll. Dissert. Pr. IV. n. 138.
Ploucquet, Observ. hepatitidis et metritidis etc. Tub. 1794.
Sprengel, Inst. Med. sup. cit. Cap. XVI. §. 307. seq.

CAP. XXIX. CYSTITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; dolor assiduus, ardens, pungens in loco vesicae, quovis corporis motu et mingendi conatu auctus; tumor, inane et dolentissimum mejendi desiderium, vel mictio frequens dolorifica, aut ischuria; urina vel cruenta, vel filis membranaceis plena; alvi constipatio; vomitus; tenesmus; pulsus durus, frequens et plenus; ructus continui; singultus; cordis palpitatio; delirium ferox; vigilia; convulsiones, et summa virium jactura.

CAUSAE.

Omnes inflammationem producentes; calculus; vertebrarum lumbarium, et ossis sacri exostoses; blenorrhoea remediis incitantibus exasperata; dispositio arthritica; haemorrhoides vesicae; scirrhus prostratae; diureticorum abusus; morbi cutanei retropulsi; catheteris imprudens applicatio; laceratio vesicae; vicinorum inflammatio etc.

CURA.

Medendi ratio eadem est in hac ut in nephritide; diluentibus parce haustis.

Conradi, Anatomia Patologica. 8.° Vol. 6. Mil. 1806. Vid. Tom. VI. p. 55-71.
Desault, Traité des malad. des vojes urinaires. 8.° Paris 1803.
Eyerel, Comment. sup. cit. Tom. II. pag. 530. seq.
Morgagni, Op. sup. cit. Epist. XLI. art. 13.
Portal, Cours d' Anatomie medical. 8.° vol. 5. Paris 1804 Vol. V. p. 393.
Sprengel, Instit. Med. sup. cit. Tom. IV. Cap. XV. §. 363-368.
Troja, Malattie delle vie urinarie. 8.° Vol. III. Napoli.

CAP. XXX. RHEUMATISMUS ACUTUS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia, dolores acuti, lancinantes circa articulos musculorum tractum sequentes, frequenter migrantes, genua et reliquos majores, potius quam pedum, vel manuum articulos infestantes; calore externo, motuve aucti; partis affectae tumor, rubor et tensio; lingua admodum sicca colorem albidum habens; calor per totum corpus diffusus, sitis, inquietudo; respiratio anxia et celer; cibi nausea; anxietas in praecordiis; urina ruberrima; alvus constipata; pulsus frequens, plenus, atque durus; sanguis detractus crustam coriaceam exhibens. Nocte adventante ingravescunt omnia symptomata; aeger noctem insomnis agit; dolor sedem suam frequentissime mutat; articuli post aliquod tempus tument et rubescunt. Plerumque gravissime afficiuntur genua, coxendix, humerus, cubitus, carpus et malleolus; pyrexia raro ante diem quintum remittit, nonnunquam in duas, aut tres, et interdum plures septimanas

protrahitur. Si dolor musculos coxarum occupat, dicitur ischias reumaticum, si musculos thoracis, pleuritis spuria, si vero lumborum, dorsique musculos, lumbago nuncupari solet.

DIAGNOSIS.

Ab arthritide et podagra dignoscitur, dolore musculorum tractum sequente, et nulla ventriculi affectione antecedente; in rheumatismo, pyrexia plerumque dolorem praecedit, in podagra vero febris dolorem sequitur; in illo dolor articulos plures, et majores simul occupat, in hac pedis pollicem, manuum, vel pedum minores juncturas potissimum infestat; dolor tandem in rheumatismo sedem suam frequentius, quam in podagra mutat, in qua dolor cum ventriculi, vel aliarum partium affectionibus alternat. A syphilide facillime dignoscitur; dolores in syphilide media, et durissima ossa infestant, dum in rheumatismo acuto ossa extrema vel articulos occupant, vel musculorum tractum sequuntur, et saepe tactu exasperantur, quod nunquam in syphilide observatur. Si vero bubones, ulcera ton-

sillarum, aut cutis, praecipue si maculae cuprei coloris ad capillitii marginem dolores antecedunt, aut comitantur, vel subsequuntur, facile de eorum origine judicari potest. Signa scorbuto propria hunc morbum a rheumatismo clare separant; in scorbuto signa debilitatis et torporis adsunt, pulsus abnormis et debilis, gingivae spongiosae et molles evadunt, sanguinem tactu levissimo profundunt, et maculae diversi coloris, plerumque lividae in diversis cutis partibus, et ad pilorum radices superveniunt.

PROGNOSIS.

In genere fauste terminatur, sudore copioso et universali, urina sedimentum lateritium deponente, diarrhoea, haemorrhagia, vel eruptione cutanea. Rheumatismus acutus si pigre tractatur aut negligitur in arthritidem, anchylosim, vel in paralysin desinit, nascens enim facile opprimitur, inveteratus vero robustior sit.

CURA.

Regimen antiphlogisticum, missio sanguinis generalis et topica; cathartica mitia

et enemata; refrigerantia praecipue sales medii; diluentia; nitrum; diaphoretica, qualia antimonium tartarisatum refracta dosi, aqua ammoniae acetatae, et pulvis ipecacuanhae compositus; rubefacientia, et dolore fixo, epispastica. An cinchona? Venae sectio ne ultra justos limites est instituenda nam tardam efficit convalescentiam.

CAP. XXXI. RHEUMATISMUS CHRONICUS.

CHARACTER.

Post rheumatismum acutum, nisum violentum, vel subluxationem; dolores artuum, vel musculorum, sub motu praesertim aucti, plus minusve fugaces, calore lecti, vel alio externo levati; pars affecta sensui frigida et arida est, tam ipsi aegro quam circumstantibus; pallidum colorem, frigus et ariditatem obtinere, nec perspirare videtur, quamvis reliquum corpus sudore affluit. Artus debilis, nec motui obtemperat, quemdam etiam torporem patitur et constrictio-

ne, motu nimis accelerato dolor ingravescit; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus.

CAUSAE.

Rheumatismus acutus prior, et plurimae causae rheumatismum producentes; magna exercitatio; actio violenta; longa et continua extensio etc. Causa proxima est atonia, rigiditas et contractio fibrarum muscularium et vasorum extremorum.

DIAGNOSIS.

Rheumatismus chronicus ab acuto hinc secernitur, quod ille symptomatibus pyrexiae et phlegmasiae vacat, acutus vero rheumatismus ab universali inflammatoria diathesi ortum ducit, et pars affecta saepius inflammata et tumefacta videtur. In rheumatismo chronico nullus tumor adest, et pars laborans pallida et frigida apparet. In rheumatismo acuto plures simul articuli afficiuntur et dolor saepissime transit ex uno in alterum. Rheumatismus chronicus ab arthritide distinguitur; quod prior cum ventriculi affectionibus et ductus alimentaris

malis associatur, nec pridie ante morbi initium appetitus solito avidior est; quae omnia in arthritide locum habent. Arthritis minores articulos aggreditur, ut manuum et pedis digitos; rheumatismus vero majores, ut lumbos et coxendicem; arthritidem febris comitatur; rheumatismus chronicus febre est immunis.

PROGNOSIS.

Hujus morbi natura saepe pertinax nonnunquam etiam insanabilis est; raro periculum affert; per aliquot menses, saepe per integros annos durat; senes et debiles lacessit eosque insequitur, raro juvenes robustos et vigentes.

CURA.

Atoniam tollere, et vigorem parti reddere remedia debent. Stimulantia interna, qualia oleum terebenthinae, gummi guajacum, raphanus rusticanus et sinapi; tonica praecipue cinchona: stimulantia externa; frictio; linimentum volatile; electricitas; exercitatio; balneum calidum; calor externus;

rubefacentia ; epispastica ; diaphoretica uti pulvis ipecacuanhae compositus ; opium et calomelas , singulorum granum unum per decem vesperas : hydrargyrus solummodo ad salivationem non excitandam; extractum aconiti napelli a gr. j sensim ad viij omni trihorio exhiberi potest.

BALLONIUS, Op. Omn. sup. cit. T. IV. pag. 179. seq.
HAIG, Diss. de rheumatismo acuto, 8.° Edinb. 1793.
HOME, Princip. Med. 8.° Amstelod. 1766. Sect. II. pag. 159. seq.
MORGAGNI, Op. sup. cit. Lib. IV. Cap. 57.
SYDENHAM, Op. omn. sup. cit. Sect. VI. Cap. V.
SIMS, Observ. sur les maladies Epidemiques etc. 8.° Avignon 1778.
VOGEL, Sam. Gott., Manuale sup. cit. T. II. §. 92. et seq.
WAN-SWIETEN, Comment. sup. cit. T. V. §. 1490. seq.

CAP. XXXII. PODAGRA.

SYMPTOMATA.

Morbus haereditarius oriens sine causa externa evidente, sed praeeunte plerumque ventriculi affectione insolita. Paroxysmum praecedunt lassitudo; torpor; animi dejectio, nausea; ructus; alvus constipata; pedum

sudor cessans, hora secunda post mediam noctem, plerumque dolore circa pedis pollicem excitatur aeger, quandoque vero calcanei, aut tali ossium luxationem refert, cum sensu quasi aquae non tantum frigidae parti affectae effusae. Dolor vel lancinans est, vel pungens, urens, vel gravativus, morsum canis rodentis exprimens; partes affectae adeo sensiles fiunt, ut nec linteorum pondus, nec cubiculi a fortiore ambulatione concussi ferre valeat aeger; mox sequuntur rigor, horror et pyrexia, dolor autem intenditur (rigore, atque horrore sensim recedentibus) donec tandem sub noctem sequentem ad apicem pervenerit, tunc gradatim cessat, et aeger leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans, partem affectam tumore, et rubore occupatam cernit; per dies plures, febris dolorque die advesperascente redeunt, levantur autem sub galli cantu; appetitus prostratus, totius corporis sub vespere rigor, gravitas, et sensatio molesta paroxysmum comitantur. Urina primis diebus colorata, sedimentum lateritium, vel arenosum deponit. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti, et praecipue inter digitos, pruritus vix ferendus cum cuticulae

desquamatione; morbo jam discusso aeger per longum tempus valetudine secunda fruitur. Morbus hic initio pedem unum solummodo occupat; in progressu vero pedes saepe alternatim afficit; manus tandem, carpus, cubitus et genua afficiuntur, tophi gignuntur, et articuli distorti motu, ac omni sensatione privantur.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt; labes haereditaria, plethora, vitae acumen; venus immodica. Causae excitantes sunt, usus cibi animalis et conditorum immodicus; vinum aliique liquores spirituosi nimis liberaliter adhibiti; studium nimium; vita sedentaria ignava; evacuationes solitae suppressae; caput magnum; vigilia diuturnior; acidorum acescentisque substantiae usus frequentior; exinanitiones nimiae; exercitatio violenta, praecipue ambulatio; frigus extremis inferioribus applicatum; animi affectus deprimentes, praecipue ira; scabies retropulsa; sudor pedum suppressus. Homines ad podagram praedispositi, robusto, plethorico corporis habitu, capite magno praediti sunt

et cutem rete mucoso densiori, crassamque superficiem efficiente, indutam habent. Sexum virilem, raro foeminas, pueros, aut eunuchos aggreditur.

DIAGNOSIS.

A rheumatismo cognoscitur dolore minores articulos aggrediente, et ibi manente; si quando transfertur ex uno pollicis pede, et alterum aggreditur; partis laborantis tumore et rubore, ventriculi affectione antecedente.

PROGNOSIS.

Hoc malum raro periculum affert, ni ventriculus, caput, cor, pulmones et partes vitae inservientes afficiantur.

CURA.

Venae sectio generalis plerumque obest; parti affectae hyrudines aliquando prodesse possunt; sed optima remedia sunt lanula et patientia, cibo animali et liquoribus, omnigenis spirituosis abstinentia, ni vitae

cursus, vel atoniae signa aliter postulant; si tumor rigorque post paroxismum permaneant, strigilis assidue est utenda. In intervallis ab omnibus liquoribus fermentatis abstinentia; exercitatio modica praecipue ambulatio, vel equitatio; cathartica ex aloe, rhabarbaro, sapone et similibus parata ad alvum strictum praeveniendum, an gratiolae tinctura? Remedia enim plenam alvi purgationem cientia, ac ventriculum et intestina multum laxantia, plurimum nocent; tonica qualia cinchona, quassia, ferri praeparationes, et sales alkalini; aquae minerales; balnea sulphurea; symptomatum violentia imminuta, opiata. Victus tenuis sit, et nutriens. Si podagra ex syphylide oritur, parvae sed repetitae mercurii dulcis doses.

CAP. XXXIII. PODAGRA ATONICA.

SYMPTOMATA.

Podagra atonica cum ventriculi, vel alterius partis internae atonia, vel sine expectata, vel solita artuum inflammatione, ac

cum doloribus artuum levibus tantum, fugacibus, et cum dyspepsia, aliisve atoniae symptomatibus subito saepe alternantibus. In hac podagrae varietate, symptomata inter sese valde discrepant, quoad varias quas fatigat partes: si ventriculum occupat, alvus modo astricta, modo soluta cum doloribus colicis; ructus, ventris fluxus, cibi fastidium, dolor ventriculi, nausea, vomitus, maestitia, animi dejectio, aliaque dyspepsiae comites, et signa maxime urgent; nonnunquam trunci corporis, et extremitatum superiorum dolores spastici, expulsione flatus e ventriculo ut plurimum levati: si thoracis viscera invadit, cordis palpitationem, syncopem et asthma gignit: si cerebrum afficit, cephalalgiam, vertiginem, apoplexiam, vel paralysim concitat, et denique in omni fere casu aeger timore, anxietate, diffidentia, et aliis morbi hypocondriaci indiciis vexatur.

CURA.

Evitatio studiosa causarum omnium, quae corpus debilitant; exercitatio modica; balneum frigidum, si corpus sub ejus usu potenter stimuletur: cibi animales, vini mini-

me acescentis, vel spiritus ardentis aqua commixti modicus usus; tonica et cathartica modo memorata sunt utenda; amara quoque ad pristinas ventriculi vires restituendas, maxime utilia sunt. Dyspepsiae signa emeticis mitissimis sunt sublevanda: si dispnoea, vel asthma concitantur opium, aether sulphuricum, aliaque stimulantia optima sunt remedia; cum caput aggreditur epispastica, et rubefacientia capiti et pedibus admota plurimum juvant. Fontanellas inseri, et frigus evitari opus est hoc in podagrae statu, multum prodest calor externus.

CAP. XXXIV. PODAGRA RETROCEDENS.

SYMPTOMATA.

Initio podagrae regularis formam induit, inflammatio ad articulos more solito se prodit, sed ad doloris eumdem gradum non ascendit, nec tempus assuetum perstat, nec sensim decedit, sed repente cessat, dum aliqua pars interna statim afficitur. Inter partes internas, nulla frequentius afficitur quam

ventriculus, unde anxietas, aegritudo magna, ventriculi dolores acerrimi, vomitus, aut dolor vehemens, frigorisque sensus oriuntur. Cor aliquando laborat, unde syncope et palpitatio aegrum fatigant; interdum pulmones, unde asthma; quandoque caput, unde apoplexia et paralysis, mentisque imbecillitas, et aeger nonnunquam subito e vivis eripitur.

CURA.

Si ventriculum afficiat, subito succurrendum est generoso vino liberaliter dato et aromatibus calefacto; si non satis valida sunt spiritus ardentes, aether, spiritus ammoniacae succinatus et similia solent usurpari; ubi morbi impetus non valde vehemens est, tinctura assae foetidae, alkali volatile, moschus, confectio opiata etc. Si comitetur vomitus, sub initio vino calido primum aqua commixto, dein mero promovendus est, postea opiata: si comitetur diarrhoea, jusculum tenue, postea opiata; si pulmones occupet, opiata, antispasmodica, epispastica; quando caput impetit, remedia verisimillima sunt epispastica capiti extre-

misque partibus admota, crurum cum sinapeos pulvere frictio; eodem tempore aromata, alkali volatile, et similia dari possunt.

CAP. XXXV. PODAGRA ABERRANS.

SYMPTOMATA.

Partis internae inflammatio, vel non praegressa, vel praegressa et subito recedens artuum inflammatio. Morbus hic simulac sese ostendit ex parte interna laborante a podagra retrograda distingui potest; modo pulmones infestat, in quibus inflammationem pneumonicam excitat; modo vesicam urinariam, et catarrhum vesicae inducit; aliquando comitantibus tumoribus haemorrhoidalibus, rectum afficere videtur.

CURA.

In tali casu oportet morbum venae sectione, caeterisque remediis, quae idiopathicae ejusdem partis inflammationi conveniunt, tractari.

Ballonius, loc. sup. cit. Tom. IV. pag. 179. seq.
Bartez, Des maladies goutteuses, 8.° vol. 2. Paris 1802.
Coste, Traité sur la goutte, 8.° Paris 1764.
Hoffmann, Op. sup. cit. Opp. Suppl. N. 2. pag. 185.
Musgrave, De Arthritide Anomala, 8.° Exoniae 1707.
Sydenham, Sup. cit. Tom. II. pag. 459. seq.
Wan-Swieten, Op. sup. cit. Tom. IV. §. 1254. seq.

ORD. III. EXANTHEMATA.

CHARACTER.

Morbi contagiosi semel tantum in decursu vitae aliquem afficientes; cum febre incipientes; definito tempore apparent phlogoses saepe plures exiguae per cutem sparsae.

CAP. I. VARIOLAE BENIGNAE.

SYMPTOMATA.

Primum stadium praecedit exanthematis eruptionem; pyrexia vehemens per aliquot dies ante variolarum eruptionem, quae languore, lassitudine, et aliis pyrexiae sym-

ptomatibus insignitur. Tertio autem die circa meridiem horror, atque algor se invicem excipiunt cum somnolentia; dolor capitis, dorsi et epigastrii (praecipue digito premente); nausea, vomitus, calor cutis plurimum auctus et sitis ingens comitantur; rubent et fulgent oculi; cutis sicuti ex formicatione, molestiam capit; arteriae vehementer moventur; anorexia; alvus pertinaciter astricta; dolores circa abdomen; dolores axillarum, maxime post insitionem variolarum; odor mucidus ex ore. Secundo et tertio morbi die omnia symptomata magis insaeviunt; infantes sternutatione et convulsionibus saepe afficiuntur, anxietas, pervigilium et aliquando etiam delirium urgent; ex somno expergefacti trepidant, et adulti si in lecto teneantur ad sudorem sunt proclives.

Secundum stadium tertio, a prima febris accessione evidente, diei vespere, interdum serius apparet, summa cutis maculis rubris pulicumque morsibus exasperatur, et pustulae quaedam discretae erumpunt; in facie primo apparet eruptio gradatim ad inferiora descendit ita, ut quinto die pustulae totam corporis superficiem occupant;

symptomata tunc levantur, et eruptione finita cessant omnino. Dum erumpunt, dolent collum et oculi, urina intercipitur, alvus astringitur.

Tertium stadium cum suppuratione incipit. Pustulae indies conicae crescunt, earum bases initio margine circulari inflammato circumdantur, primo subalbidae, tunc flavae evadunt; intumescit facies, et oculi nonnunquam clauduntur, tensio, ardor, et rubor interstitiorum augentur, ut margaritas fere discretae pustulae referant.

Quartum stadium. Circa diem undecimum variolae magnitudinem summam attingunt; pustularum apices nigrescunt, dein flavidae fiunt, et in crustas abeunt; faciei tumor subsidet, manus pedesque exinde tumescunt. Quando pustulae non admodum paucae sunt, deglutiendi difficultas, raucedo, et salivatio circa diem sextum, vel septimum superveniunt, et febris decimo plerumque die iterum apparet. Sed haec omnia symptomata cum faciei tumore augescunt, et cum eo etiam minuuntur.

CAUSAE.

Contagium specificum.

DIAGNOSIS.

Variolae a varicella distingui possunt. Inter variolas, et varicellam haec intersunt, quod in hac papulas, quibus cutis exasperatur, vix ulla febris praecedit; quod variolarum papulae maturius vesiculas producunt, et in pustulas abeunt; quod humor, quem pustulae continent, spissescit, flavescitque; denique quod illae semper triduo, vel quatriduo in crustas desinunt. Primis diebus rubeola, erysipelas et scarlatina variolas multum referunt, sed facta eruptione facillime ab aliis morbis dignoscentur.

PROGNOSIS.

Variolae benignae nisi quando pustulae plurimae faciem obsident, vix periculum habent. Morbum benignum esse judicari potest, quando pustulae primo in facie, deinde gradatim in extremis lente desiccare incipiunt.

CURA.

Regimen antiphlogisticum stricte est adhibendum, praecipue aer frigidus, et purus

libere est admittendus; cathartica mercurialia ante diem quintum sunt administranda; aqua frigida et diluentia; refrigerantia acidis grata reddita, libere; crurum fotus: si urgeat diathesis hypersthenica venae sectio, et postea vomitorium; si accedant convulsiones, opiata; si eruptione jam facta diathesis hypersthenica adhuc vigeat, ac pulsus sint pleni, et validi cathartica lenia, et antimonii praeparationes ad nauseam movendam; enemata emollientia. Si fauces multum tumidae, et deglutitio difficilis sint epispastica et gargarismata; si magna sit debilitas, ad suppurationem promovendam juvant cinchona, vinum: post diem quintum opiata semel vel bis in die. Variolae vaccinae insitio, mirum ac tutissimum remedium est, quod a variolarum eruptione praeservat.

CAP. II. VARIOLAE MALIGNAE.

SYMPTOMATA.

In his febris eruptiva vehemens, vomitusque plerumque perpetuus ante eruptionem urgent, anxietas magna, praecordiorum gravitas, pulsus debilis, contractus et convulsiones nonnunquam comitantur: diar-

rhoea plerumque eruptionem praecedit, et ad diem unum, alterumve post illam protrahitur. Secundo vel tertio die pustulae numerosae, circumscriptae, pallidae, minime elevatae, et in vesiculas coeuntes sese ostendunt; aliquando acervatim ut in rubeola prorumpunt, et inflammatio erysipelatosa pustulas discretas circumdat. Symptomata post eruptionem, praeter vomitum, omnia manent, in morbi progressu ingravescunt symptomata febrilia et delirium, vel coma supervenit; facies immodice tumet, quam pustulae plures, minores et magis coherentes deturpant; fauces inflammatione foeda tenentur, unde deglutiendi difficultas et aliquando suffocatio minitatur. In adultis saliva copiosior, et acrior secernitur, quae os et fauces excoriat, postea crassa et viscida fit; in infantibus diarrhoea salivationis vicem praestat. Facta eruptione febris parum mitescit, sed nunquam omnino evanescit, post quintum, aut sextum diem iterum vehemens fit; pustulae in maturitatem tendentes plenae fiunt et flavidae, quarum acumina saepe cavantur, et macula nigra obducta videntur; undecimo circiter die dehiscunt, et in suppurationem procedunt,

sed humorem effundunt fuscum, aut subnigrum, et in flavidas nigrasque crustas abeunt, foveolis in cute relictis. Quamplurima alia symptomata in variis morbi stadiis observantur; erysipelas eruptionem saepe praecedit, vel comitatur; in morbo violento phrenitis, coma, petachiae, dysuria, ischuria, urina sanguine tincta, haemophtisis, et aliae haemorrhagiae frequenter observantur. Facie tandem detumescente pedes et manus tument, et pyrexia mitior evadit, sed postea iterum augescit, multoque gravior fit; spiritus et faeces foetidae sunt; lingua et fauces nigrae, aut aridae, et summa corporis debilitas scenam claudunt.

PROGNOSIS.

Malignae variolae raro sine periculo sunt. Pustularum eruptio primo febris die; pustulae valde confluentes super faciem et thoracem; vel perquam parvae, durae, violaceae, virides, sanguineae, aut nigrae; dolor lateris, vel ventriculi auctus post eruptionem; deglutiendi maxima difficultas; delirium; petechiae; magna virium prostratio; nimia alvi profusio; haemorrhagiae, et

alia ataxiae signa infaustae sunt notae. Si membra graviter dolent, et summum corpus hic et illic nigrescit, vel purpureum fit; si phrenitis apparet, et animus continuo deficit; si cordis palpitatio, anxietas, et jactatio urgent, res est in praecipiti, et gangraena aeger moritur.

CURA.

Vires cinchona, vino, opio, cardiacis et diaeta nutriente sunt sustinendae; nonnunquam cinchona vomitu ejicitur, hoc in casu additis aromaticis, uti pulvis serpentariae, cascarillae etc., sub tincturae forma est adhibenda; acida mineralia, vel vegetabilia aqua diluta; si sudores vel diarrhoea occurrunt, opiata; cum eruptio subito subsidit, epispastica carpis, et pedum malleolis sunt applicanda, et alia remedia typho idonea libere sunt adhibenda. An ante pustularum eruptionem si cutis sit praeter naturam calida cum aliis morbi violenti symptomatibus, aquae frigidae corpore nudato effusio?

Ex imperfecta, vel impedita variolarum eruptione, quamplurima nascuntur mala,

quae gravissimos morbos relinquunt: Timenda sunt ulcera diuturna, ipsaque caries; blennorrhoea lacrimalis, et fistulae; ophtalmiae pervicaces quae corneae maculas, aut lentis suffusionem excipiunt: aliquando etiam rheumatismi, arthritis, ascites, aut anasarca, nervorum resolutiones, vel pneumoniae gravissimae sunt variolarum sequelae.

Burserius, Oper. sup. cit. Tom. II, Cap. 9. §. 158. seq.
Cotunnius, De sedibus variolarum. 8.° Lovanii 1786.
Girtanner, Malattie dei bambini sup. cit. Tom. I. Cap. XVI. pag. 182. seq.
De Haen, Rat. Med. sup. cit. Vol. I. P. II. Cap. III. Vol. V. P. X. Cap. V. seq.
Heberden, in Med. Transact. Vol. I. art. XVII.
Marescotti, De variolis. 4. Bonon. 1657.
Mead, Oper. Omnia. 4. Neapoli 1778. Cap. VIII. pag. 65.
Rosenstein, Tratt. delle malattie dei bambini. 8.° Milano 1780. Cap. XII. pag. 91. seq.
Sacco, Trattato di vaccinazione. 4.° Mil. 1809.

CAP. III. VARICELLA.

CHARACTER.

Pustulae post brevem febriculam erumpentes, in pustulas variolae similes, sed vix

in suppurationem euntes. Varicellae eruptio alio ordine se habet ac in variolis. Illa enim primo in dorso, et membris nascitur, haec vero in facie et pectore; omnis hujus morbi eruptio uno plerumque die vel paucis horis absolvitur. Pustulae semper paucae numero sunt, nunquam plus quam duodecim in facie, neque ducentas numero in reliquo corpore excedunt; pure expertes sunt, vel nullo collecto humore primis fere diebus rupta cuticula collabuntur. Secundo, vel tertio die post eruptionem in pustularum summitate apparet vesicula lymphatica, vel seroso humore plena, qui exhalatus, vel absorptus pustulae collapsum efficit. Nonnunquam spissi humores, et tenaces cumulantur, qui diutius persistentes nullam fere mutationem subeunt donec lente absorbeantur. Post paucos dies circa quintum in squamulas furfuraceas, delapsa macula rubra, nulla cicatrice plerumque relicta abeunt.

DIAGNOSIS.

A variolis dignoscitur pyrexia miti, eruptione primo in tergum comparente, et quarto, vel quinto die in squamulas abeunte.

CURA.

Morbus hic periculi expers, raro medentis opera indiget; desquamatione finita catharsis lenis praecipue cum calomelano est propinanda.

Atti dell' Accademia di Siena. Tom. I. pag. 13.
HEBERDEN, Medical Transactions, Tom. I. Num. 17.
REIL, Diss. variolarum spuriarum et verarum pure ortus. 4. Halae 1792.
VAN-SWIETEN, Comment. sup. cit. Tom. IV. pag. 10.

CAP. IV. RUBEOLA VULGARIS.

SYMPTOMATA.

Primum hujus morbi stadium eruptionem praecedit, catarrhalibus symptomatibus stipatum. Incipit horripilatione cum calore, et frigore vicissim alternantibus; his superveniunt febris continua, sitis, anorexia, nausea, saepe vero diarrhoea; ab initio tussis plerumque sicca, sed molestissima; calor intensus; raucedo; lingua arida; capitis gravedo; somnolentia continua; cory-

za; sternutatio frequens. Oculi scintillantes humorem tenuem distillant, facies rubescit, palpebrae tument; pulsus creberrimi, depressi, et irregulares, praecordiorum oppressio, odor singularis, subdulcis perspirationis, et pruritus faciei molestus eruptionem praecedunt. Tertio, vel quarto circiter die secundum stadium inchoat. Maculae rubrae, exiguae in facie erumpunt, morsus pulicum reddentes, gradatim coeuntes maculas majores forma, et magnitudine varias constituunt, et in corpus totum sese serie diffundunt. Heae maculae tactu, sed non visu supra cutem eminere percipiuntur: postea papulae similes per pectus, ventrem, brachia, crura, ac femora sparsae apparent. Eruptione finita nausea et vomitus plerumque cessant, sed febris intenditur, tussis augetur, et spirandi difficultas; epiphora etiam et capitis dolor, et gravedo adhuc durant. Tertium denique stadium sexto ut plurimum die incipit. Tumor faciei decrescit, maculaeque minus coloratae evadunt. In reliquis corporis partibus maculae adhuc latissimae, et ruberrimae apparent. Octavo die maculae faciei evanescunt, nono die penitus visum fugiunt; sputa magis excre-

antur, maculae denique in squamulas furfuraceas, aut farinaceum pulverem abeunt. Febris, et tussis in hoc morbi stadio non levantur sed per totum morbi cursum manent, et desquamatione inclinata, ingravescunt pyrexia, dyspnoea, tussis, somnolentia, aliaque symptomata, et urget plerumque diarrhoea molestissima, quae per plures perstat hebdomadas; inde nonnunquam subsequuntur abdomen tumidum, et maxime tensum, summa corporis reliqui macies, et tabes lethalis.

CAUSAE.

Contagium specificum. Infantes, et pueri magis quam senes rubeolae sunt expositi. Aliquando morbus hic per longum tempus quiescere, modo sparsim vagari, interdum per regiones totas propagari videtur.

DIAGNOSIS.

Rubeola priusquam maculae eruperint haud facile a catarrho distingui potest. In catarrho autem symptomata sunt mitiora. A febre miliari dignoscitur rubeola, quod

in illa papulae in facie nunquam videntur; serius quam in rubeola erumpunt, et citius retrocedunt; sudor etiam olidus adest sine tussi, sternutatione, et humoris ex oculis stillicidio. A variolis facile distinguitur, eruptione excepta, nullum symptoma commune habent. Sternutatio, coryza, epiphora, maculae citius apparentes, majores latioresque cum rubore universo per faciem, et totum corpus diffuso, rubeolam a scarlatina discernunt.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt, pyrexia, et dispnoea mites; eruptio mature apparens; diarrhoea levis; diaphoresis modica; expectoratio libera et copiosa. Infausta sunt vomitus post eruptionem perseverans; pneumonia, diarrhoea symptomatica, stipata; lassitudo magna; dolores graves, fixi, eruptionem antecedentes; dolor capitis, et oculorum permanens; petechiae; papulae subito retrocedentes, praesertim si hisce succedant pneumonia, cynanche, vel delirium.

CURA.

Sanguinis missio generalis, vel localis secundum pyrexiae, tussis, dyspnoeae, et pneumoniae violentiam, sed raro ante desquamationem postulatur; cathartica, qualia soda phosphorata, tartari cristalli, senna, tamarindi etc., enemata laxantia; diaphoretica lenia e. g. antimonium tartarisatum tali dose, ut nauseam moveat; sales medii; diluentia tepida; expectorantia mitia; pediluvia; epispastica lateri, et inter scapulas; si non urgeat diathesis hypersthenica, opiata; morbo finito cathartica repetita; si superveniant pneumoniae signa venae sectio, aliaque remedia ei aptata: si vexet diarrhoea sanguinis missio; si summa debilitatis signa sese ostendant cinchona, vinum, confectio aromatica etc. libere propinanda.

CAP. V. RUBEOLA NIGRA SIVE MALIGNA.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens cum summa virium debilitate; capitis gravitas maxima; oculorum inflammatio plorans; secundo die maculae erumpunt ingravescente tussi et ophtalmia. De calore admodum intenso, et corporis inquietudine cum anxietate aeger conqueritur; excreatio nulla; respiratio valde difficilis, cutis sicca, lingua arida plerumque fusca, et squallida cum siti inexplebili. Fauces colorem violaceum, et subnigrum ostendunt; pulsus parvus, frequens, raro plenus, et debilitas maxime urgens adsunt. Quinto, vel sexto morbi die eruptio, calor et inflammationis signa evanescunt, vel aliae maculae virulentiae non expertes, coloris fusci, aut violacei, et amplae per totum corpus apparent, nonnunquam petechiae, purpura, et etiam pustulae scorbuticae complicantur; exulcerationes fere insanabiles oculorum superveniunt; sitis plerumque cessat; murmurat, et pigrescit aeger, et venter ejus

inflatus est manibusque repercussus sonat; caetera symptomata augentur cum pulsu velocissimo, debili, inaequali, summaque virium debilitate.

PROGNOSIS.

Si vehemens accedit febris, et respiratio difficilis sit; si corporis inquietudo, sitis ingens, et vires infirmae adsunt; si maculae pallescunt, aut livescunt, malum. Si vero maculae subito, ante morbi evolutionem rursus abeunt, finis incertus, et saepe lethalis erit.

CURA.

Sanguinis missio cautissime praemittenda, si morbi initio inflammationis symptomata urgeant; acida libere sumpta; vires cinchona, opio, cardiacis, aromaticis, et diaeta nutriente sunt sustinendae, et alia remedia typho idonea.

Alibert, Descript. des maladies de la peau. *Fol.* Paris 1806.
Burserius, Op. loc. cit. Tom. II. Cap. XVII. §. 110. seq.
Girtanner, loc. cit. Tom. II, pag. 3. seq.

Haen, loc. cit. Tom. I. pag. 137-138.
Rosenstein, sup. cit. cap. XIV. pag. 181. seq.
Soemmering, Malattie de' vasi linfatici. 8.° Vigev. 1813.
Vogel Sam., Manual. sup. cit. Tom. III. Cap. III. pag. 195. seq.
Willan, Description and treatment of cutaneons diseases, 4.° Lond. 1809. Part. I.
Wilson, Diss. de rubeola, 8.° Edinb. 1797.
Vide etiam Morton, Rhazes, Hoffmann, Sydhenam etc.

CAP. VI. SCARLATINA SIMPLEX.

SYMPTOMATA.

Ineunte hieme plerumque se ostendit cum frigore febrili, et aliis sinochae signis; quarto morbi die facies aliquantum tumet; simul in cute passim comparet rubor floridus, maculis amplis, tandem convalescentibus, post tres dies in squamulas furfuraceas abiens; superveniente dein saepe anasarca cito plerumque decedente.

CURA.

In hac specie scarlatinae simplicis regimen antiphlogisticum requiritur; summo frigore et calore ex aequo evitatis; desquama-

tione absoluta alvi purgatio praecipue cum rhabarbaro et mercurio dulci; si in infantibus superveniant convulsiones, vel coma, epispastica, opiata.

CAP. VII. SCARLATINA ANGINOSA.

SYMPTOMATA.

Morbus hic, ut alia exanthemata tria potissimum stadia complectitur. Lassitudo inusitata; animi dejectio; cephalalgia; anxietas, capitis dorsique dolor; magnus oppressionis circa praecordia sensus; nausea, vomitus; gutturis angustia; vertigo, et ad syncopem proclivitas, aliaque pyrexiae signa primo stadio sese ostendunt. Vespere appetente sensus rigiditatis, et doloris levioris circa cervicem faucesque oritur; lingua crusta, crassa, albida, mucosa cooperitur, dum ejus margines puri, humidique manent; extrinsecus ad collum tumores surgunt; vox fit tremula; arteriarum pulsus plerumque celeres, debilesque sunt, interdum duri et pleni; nonnunquam loquela adeo impedita

est, ut per nasum loqui videantur aegri. Secundo die deglutiendi difficultas, anorexia, nausea et saepe vomitus superveniunt; fauces late colorem floridum induunt dum ugula, et tonsillae tument, rubent, et nonnunquam crustis albidis obducuntur; respiratio fit crebra, suspiriis interrupta; anhaelitus est calidus, atque urens; cutis arida, calida, pungens, et inquietudo magna vexant; alvus nec astricta, nec soluta. Tertio plerumque die secundi stadii symptomata apparent. Facies magis tumet, gula magis constringitur; nervorum distensiones ingravescunt, nonnunquam trismus, aut tussis convulsiva comitantur; rubor floridus pressu evanescens, sed cito rediens in corpus totum apparet, modo in pectore et facie, modo in cruribus et brachiis; cutis levis est, et tumida, aut maculae latae, lividae, paucae circa pectus sese ostendunt. Deglutitio interea difficilis, gulae constrictio, et anginosi effectus vel levantur, vel eodem rigore pergunt, et sub vespere symptomata omnia ingravescunt.

Nono, vel decimo morbi die quartum stadium plerumque accedit cum cutis desquamatione; maculis demum evanescenti-

bus, et decedente subjecta cuticula, furfuraceae quaedam squamulae remanent, ad instar farinae corpori inspersae, quae ad secundam, vel tertiam vicem se produnt, conduntque vicissim superveniente dein saepe anasarca.

CAUSAE.

Contagium. Qui constitutionem corporis delicatiorem, et nimis irritabilem habent; qui e morbis praecedentibus, ut variolis, et rubeola etc. tantum convalescunt, huic morbo sunt magis opportuni, quam valentiores, et sanguineo temperamento praediti.

DIAGNOSIS.

A rubeola distinguitur, tussis, corizae, epiphorae, et sternutationis absentia. Scarlatinae eruptio plerumque secundo febris die, in rubeola vero ante quartum morbi diem, rarissime apparet; in febre scarlatina universa cutis maculis parvis, et rubris interstinguitur, quae tamen crebriores, et latiores sunt ac maculae illae, quae rubeolam constituunt. A variolis dolore epigastrii prorsus absente, ab anginae praesentia, et ab eruptionis tempore dignosci potest.

PROGNOSIS.

Exitus morbi secundus evadit, si efflorescentia mature apparet, et totum corporis spatium occupet; si colorem floridum habet; si respiratio libera, et facilis remanet, si partes circa collum haud valde tumescunt, si crustae tandem mucosae facile separantur. Delirium, oculi inflammati et splendidi; efflorescentia cito apparens, vel subito recedens; crustae mucosae inaequaliter modoque fimbriarum, faucibus adhaerentes, vel maculas purpureas, lividasque hic, illic ostendentes; respiratio difficilis; sanguinis ex ore, vel e naribus effusio, et collum magnopere tumescens; infausta sunt symptomata.

CURA.

Obest plerumque sanguinis missio, in plethoricis vero, atque ubi pulsus duri cum aliis inflammationis signis apparent, summa cum cautela est adhibenda; si cephalalgia nimis urgeat, et diathesis hypersthenicae fortioris signa adsunt, venae jugularis sectio; emetica repetita summo cum fructu utuntur praecipuae ipecacuanha; diaphoretica praeci-

pue antimonium tartarisatum refracta dosi ad nauseam movendam; pediluvia; balneum tepidum; regimen antiphlogisticum; gargarismata: si signa diathesis hypostenicae apparent cardiaca exemp. grat. contrayerva mixtura camphorata etc.; diuretica ut kali p. p.; ammonia praeparata, acidum sulphuricum, vel muriaticum parva dosi cum syrupo citri, posteà cinchona; ferri praeparationes; si permanserit debilitas cum comate epispastica; ad anasarcam scylla, calomelas, sales alkalini, digitalis, rhabarbarum; et ea affectione amota, tonica ut cinchona, vinum, ferri praeparationes; diaeta nutriens, et exercitatio. An aquae frigidae corpori nudato affusio? An ante exanthematis eruptionem, atropo belladonae tincturae, vel sulphuris aurati antimonii cum mercurio dulci parvae et repetitae doses?

CAP. VIII. SCARLATINA MALIGNA.

SYMPTOMATA.

Ineunte morbo symptomata eadem fere sunt ac in scarlatina anginosa, tertio plerumque morbi die vis signorum omnium intenditur; pyrexia vehemens persistit, cum

inquietudine magna, siti inestinguibili, dolore alicubi fixo, vel per partem aliquam divagante absque causa manifesta; conatus alvum agendi, mingendique inanis, continuus; vomitus vehemens, acidus, niger, vel inanis nullum adferens levamen; pulsus sunt parvi, celeres et irregulares; spiritus aegrius, et cum anxietate movetur; lingua, dentes, et labia crusta subnigra obducuntur, et hic, illic transversis incisuris hiulcae fiunt; oculi inflammati lucem vel oscuram refugiunt; sonos vel levissimos tolerare nequeunt aures; anima foetens, respiratio difficilis, et anxia cum dysphagia continuo aucta; summa gulae constrictio; vox tremula fit; intumescit collum; oris ambitum, linguam, et tonsillas ulcera sordidissima occupant; partes circa tonsillas, et laringem nigrescunt; humor acris, foetens e naribus, salivaque odorem spargens teterrimum ex ore, fluunt; urina pallida; maculae per totum corpus erumpentes pallidae sunt, vel violaceum, nigrum, et lividum colorem ostendunt; eruptio plus aequo retardata, aut maturior velociorque justo, aut ultra modum copiosa sic, ut cutis diebus duobus primis rubedine rosea universa, tumore insigni, et ardore intollerabili stipata,

obducatur; macularum rubedo pressu remanens et immutata, diarrhoea et haemorrhagiae immodicae; vox rauca fit et debilis; loquela impedita, ac balbutiens; sudores frigidi e pectore, et capite manant; convulsiones tandem, epilepsia, tetanus et mors.

PROGNOSIS.

Hoc in morbo tam insidiosissimo maxime fallax. Vertigo, somnolentia magna, et coma soporosum, vel defectus somni cujuscumque plenarius, deliria phrenitica, dolores capitis abnormes pertinacesque, sternutatio molesta et fortis, convulsiones et animi deliquia, escharae gangraenosae in fundo faucium, versus tonsillas, et velum palati supervenientes periculosissima sunt signa.

CURA.

Sanguinis missio, et remedia alvum solventia plerumque nocent; emetica etiam repetita, praecipue pulv. ipecacuanhae vel sola, vel tartaro emetico mixta; gargarismata ex decocto cinchonae, vel controjervae cum acido vitriolico diluto; cardiaca,

uti opium, vinum, cinchona etc. Si ob aetatem, vel summam gulae constrictionem cinchonae pulverem sumere haud potest aeger, enemata larga, et frequentia a decocto ejus valentiore composita injiciantur; acida fructuum, praesertim maturiorum libere sunt danda; si diarrhoea urget adstringentia leviora, vel opiata, alkalis volatilis guttae aliquae dilutae; delirium pediluviis, crurum fotu, et epispasticis. An capsici grana pauca secunda quaque hora vel in forma decocti cum pipere cayennensi, et cum aceto commixto? Mundities summa, et acidi nitrici fumigationes in cubiculo.

Forestus, Oper. Omnia fol. Tom. III. Rothomag. 1653. Tom. I. lib. 6. pag. 188. seq.

Fothergill, An account of the sore throat etc. 8.° Lond. 1751.

Heberden, Comment. Med. de Morbis. 8.° Lond. 1806.

Nola, De epidem. phlegmone anginoso. 8.° Neap. 1620. pag. 13.

Raggi, De purpurae scarlatinae prophylaxi. 4.° Viglev. 1809.

Rosenstein, Op. sup. cit. Cap. XVI. pag. 198. seq.

Sims, Memoir of Medical Society of London. Vol. I. 1787. n. 32.

Saggi di Medicina d'Edimburgo. 8.° Venez. tomi VII. 1773. Tom. III. pag. 25. seq.

Thomassen a Thuessink, Sur le moyens prophilactiques de la scarlatine. Vid. Journal. de Litter. Med. Etrang. 8.° Gand Vol. 6. T. II. p. 231.

WILLAN, Cutaneous diseases sup. cit. Ord. III.
WITHERING, On the scarlat Fever and sore throat. 8.° Lond. 1779.
ZULATTI ANG., Giornal. di Medicina 4.° Venez. T. II. n 29.
Vide etiam BURSERIUM, FRANK, BALLONIUM, HUXAM, MEAD, GIRTANNER, SYDENHAM, WAN-SWIETEN etc.

CAP. IX. PESTIS.

SYMPTOMATA.

Eodem plerumque modo quo typhus gravior incipit; paroxysmi gravius aegrum adoriuntur, quam in febri continua contingit. Cum populariter grassatur nullis fere prodromis praeceditur, sed illico homines prosternit; ingens partium internarum excipit calor; aeger virium jactura, torpedine quadam, animi desponsione, mentis stupore, anxietate magna, aurium tinnitu, capitis gravedine quaeritur; vultus horrore plenus, oculi rubri, vagi, atque prominentes, capitis dolor immanis, vigiliae, delirium, et interdum coma comitantur; ingens supervenit virium prostratio, animi dejectio, et sollicitudo; praecordia oppressa sunt ignis sensu quodam; respiratio difficilis, nausea perpe-

tua, atque vomitus biliosus, dejectiones biliosae, foetidae miserum torquent: pulsus frequens, debilis, abnormis, saepe tamen magis durus et plenus evadit; sitis immodica est; lingua plerumque albida, haud raro nigra; urina pallida et cruda, vel rubra et turbida. Secundo, tertio aut quarto morbi die, aut serius (partis pruritu, aut aestu praecedentibus in cute, quasi acu pungeretur) maculae surgunt parvae pulicum morsibus similes, in quibus vesiculae, aut pustulae oriuntur, humore aquoso plenae, quae post duodecim circiter horas rumpuntur, atram lividamque maculam rubro margine cinctam relinquunt; carbunculi, aut anthraces dicuntur et partes, quas occupant insensiles reddunt, et in vibices, atque petechias amplas nonnunquam abeunt. Bubones, seu glandularum tumores collum, axillas, vel inguina occupant; vox debilis rauca; singultus; dysphagia, et aeger syncope, delirio, sopore, tendinum subsultu, et convulsionibus tentatur.

CAUSAE.

Contagium. Pauperes, et qui vitiis victus, aut morbo praegresso, aut metu sunt

confecti robustis, aut ditioribus facilius afficiuntur.

DIAGNOSIS.

Partis pruritus, petechiarum efflorescentiam, et carbunculos praecedens, bubones ad inguina, vel glandulas colli, et axillarum occupantes, ad distinguendam pestem a typho graviori sufficere possunt.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt aegri vires haud multum depraessae; lenis, et universus sudor cum pulsu valido et regulari, anxietatem, nauseam et vomitum tollens; bubonum et carbunculorum eruptio morbi levamine comitata. Infausta sunt, calor immodice intensus; sudores profusi corpus debilitantes; petechiae nigrae, latae, cito conspicuae, carbunculi plures erumpentes; magna, et subita virium prostratio.

Cadavera secta gangraenosas maculas per omnia viscera diffusas ostendunt. Cordis et musculorum compages flaccida, et livida universam corporis dissolutionem demonstrat.

CURA.

Venae sectio caute est celebranda; vomitoria, ad vomitionem ciendam; diluentia, refrigerantia; regimen antiphlogisticum; mundities summa, et cubiculi perpetua ventilatio: si diathesis hypostenicae signa manifeste apparent, cinchona, vinum et alia typho graviori idonea; aqua frigida libere est bibenda; corporis totius cum oleo olivae frictio; an aquae frigidae effusio? Acidi nitrici fumigationes in cubiculo.

Descenettes, Hist. Medical. de l'Armée d'Orient. 8.° Paris An. X.

Diemerbroeck, Tract. de peste. 4. Amstelod. 1765.

Gastaldi, Tractatus de peste avertenda et profliganda. fol. Bonon. 1684.

Mackensie, Transact. Philosoph. 4. Lond. ann. 1764.

Mead, Oper. sup. cit.

Mertens, Observ. Med. de febribus putridis, de peste etc. 8. Ticini 1791.

Mercurialis, De peste, et de morbis cutaneis. 4. Basil. 1677.

Muratori, Del governo della peste. 8. Modena 1714.

Papon, De la peste, ou epoq. memorabl. de ce Fleau etc. 8. Paris.

Valli, Sulla peste di Costantinopoli. 8. Mantova 1805.

CAP. X. MILIARIA.

SYMPTOMATA.

Synochus; dolor plerumque pectoris; anxietas; tussicula catarrhosa; suspiratio frequens; dolores artuum rheumatici; proclivitas in sudorem; stupor digitorum pungens, vel rigore, tensioneque manuum et pedum stipatus; oppressio et constrictio pectoris, quasi pondus ipsi incumberet; capitis dolor; horrores vagi saepe recurrentes; deglutitio difficilis, fauciumque ardor; ptyalismus; cordis palpitatio; urina valde mutabilis; sudor olidus; punctiones cutis; incerto morbi die erumpunt papulae rubrae, exiguae, milii seminis magnitudine, primum in collo, in nucha, pone aures, in pectore, in brachiis, digitorumque interstitiis, dein in abdomine, dorso, raro in facie manifestantur; nonnunquam papulae albae, opacae, pellucidae, cristallinae, vel obscurae evadunt, et cingulo cinguntur rubro; humor quem continent limpidus, et clarus, vel subruber, vel serosus, lacti similis, vel purulentus, foetidusque est; papularum api-

ces post unum, vel alterum diem, pustulas minimas albas, brevi manentes, in squamulas furfuraceas abeuntes ostendunt.

CAUSAE.

Debilitas, regimen calidum, constitutio epidemica, puerperium, complicationes cum variis morbis.

DIAGNOSIS.

Ab omnibus aliis exanthematibus sudore olido, et papulis milii seminis formam referentibus dignoscetur.

PROGNOSIS.

Febris post eruptionem aucta; cutis sicca et ardens; dolor faucium levis raucedine stipatus; suspiria, et animi deliquia frequentia; somnus interruptus et irrequietus; petechiae inter papulas erumpentes; eruptio retrocedens, delirio, vel comate superveniente, aphthae et ulcuscula faucium cinerei, vel nigri coloris; tussis perpetua et molesta; ructus inanis, et abdomen tensum

infausta sunt signa. Respiratio libera; pulsus elevatus et regularis, sudores modici, universales, calidi, ante eruptionem, vel post illam exorti; cutis mollis et humida; vires vigentes; animi quies; diarrhoea modica sine dolore, lochiorum in puerperis restitutio bona sunt signa.

CURA.

Si adsit diathesis hypersthenica venae sectio, aliquando etiam repetita sed summa cum cautela; regimen antiphlogisticum; aeris frigidi libera admissio; emetica ad nauseam tantum ciendam; infusum florum sambuci cum spiritu mindereri: si diathesis hyposthenica urgeat, si debilitas, coma, et ataxiae signa concomitantur, cinchona, vinum, opium, aether, alcali volatile, serpentariae virginianae infusum, et epispastica; an aspersiones frigidae ex aqua, et aceto compositae corpori nudato? Si grave animi pathema, vel terror praecesserint, antispasmodica, valeriana, moschus et opiata.

Allioni, De miliarium origine. 8.° Taurin. 1758.
Burserius, Oper. sup. cit. T. II. Cap. XI. §. 380. seq.

Eyerel, Op. sup. cit. Tom. VI. pag. 155. seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. III. Ord. II. §. 330.
Fantonus, Specim. Observ. de febri acuta miliari, 8.° Taurin. 1713.
Hamilton, De febre miliari, 8.° Lond. 1712.
Vogel Sam., Manual. sup. cit. Tom. III. Cap. XII. pag. 322. §. 131. seq.

CAP. XI. URTICARIA.

SYMPTOMATA.

Pyrexia, horrore, rigore, artuum tensione adoritur; oculi lacrymantes; sternutatio; dolor capitis; anxietas circa praecordia; urina turbida et crassa; vomitus, aut vomituritio; alvus astricta; ventriculi et intestinorum dolor. Die secundo, aut tertio rubores maculosi urticarum puncturas referentes, interdiu fere evanescentes, vespere cum febre redeuntes apparent; maculae sunt subrubrae, vel albicantes circulo cinctae rubro in brachiis primum, et in pectore, interdum in facie, in ventre, et in universo corpore erumpunt; nunc parvae, vel latae super cutem prominentes cum ingenti pruritu ad scalpendum stimulant; saepe eva-

nescunt, et iterum apparent; tandem post paucos dies in squamulas minutissimas abeunt, vel sine manifesta cuticulae desquamatione disparent.

CAUSAE.

Constitutio epidemica; transpiratio suppraessa; fragorum, astacorum, mytilorum, aut piscium commestio; sordes in primis viis.

PROGNOSIS.

Morbus hic plerumque benignus, dierum paucorum spatio ut plurimum evanescit; sudore, urina sedimentum deponente, interdum narium haemorrhagia terminatur.

CURA.

Regimen antiphlogisticum; medicamentis vix unquam indiget; praecipue ad primas vias est respiciendum; transpiratio commoratione in lecto, infuso florum sambuci, aut hausto salino est promovenda: si diatesis hypersthenica urget venae sectio; ad universae cutis pruritum temperandum bal-

nea tepida; post desquamationem alvi lenis purgatio.

ALBERTI, Diss. de purpura urticata. 8. Hal. 1719.
FRANK, Epit. sup. cit. Lib. III. Ord. I. §. 306. seq.
GRUNER, Prog. de febre urticata etc. Jenae 1771.
WILLAN, Oper. sup. cit. Ord. III.

CAP. XII. PEMPHIGUS, SIVE FEBRIS BULLOSA.

SYMPTOMATA.

Pyrexia cum colli artuumque doloribus conjuncta; primo, secundo, tertiove morbi die in variis partibus internis, et externis pruritu praecedente, erumpunt maculae in collo primum, dein et in aliis corporis partibus rubrae, latescentes, quae in vesiculas abeunt, nucis avellanae magnitudine, humorem limpidum, subflavum, eoque vel blandum, vel acrem, corrosivum, interdum foetidum effundentes. Vesiculae per plures dies remanent, tumque vel rumpuntur, vel absorpto humore exarescunt; varia corporis loca percurrunt, et eodem loco quo ruptae sunt novae surgunt vesiculae; cutis quasi

ambusta, et corrugata crusta crassa sordidaque obtegitur, persistente macularum vestigio.

CAUSAE.

Evacuationes immodicae; animi pathemata; convulsiones hystericae; variolae.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens; magna vesicarum copia, humore acri plenae, fauces et pharingem occupantes, parotidum tumores, respiratio difficilis infausta sunt symptomata.

CURA.

Primae viae vomitorio, et alvi purgatione sunt evacuandae; si adsunt signa hyposthenicae diatheseos tonica, cardiaca, antiseptica, gargarismata.

Bontius, Medic. Indorum. 12. L. B. 16.
Burserius, Op. sup cit. Tom. II. Cap. VII. §. 105. et seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. III. Ord. II. §. 357. seq.
Langhans, Act. Helvet. Tom. II. pag. 260.
Macbride, Introductio in Theoriam ac praxim Medicinae. 8.° vol. 2. Lausan. 1783.

Piso Carolus, Observat. et Consiliorum etc. 4.° Lugd. Bat. 1714.
Sprengel, Inst. sup. cit. Tom. IV. lib. II. Cap. VII. §. 356. seq.
Vogel Sam., Manual. sup. cit. Tom. III. Cap. II. §. 110. seq.

CAP. XIII. APHTHAE.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens, lassitudo artuum, anxietas, epigastrii dolor et pressio, nausea, vomitus et diarrhoea aphtharum eruptionem praecedunt; rei in faucibus haerentis sensationem experitur aeger; singultus; deglutitio difficilis; oris ardor et calor; superficies oris interna, et lingua valde rubrae, et tumidiusculae apparent; salivatio copiosa. Escarae in faucibus, et ad linguae margines primum comparentes, os internum totum, nonnunquam etiam ventriculum, et intestina occupantes, albidae, aut ad cineritium colorem vergentes, superficiariae, rotundae, colore interdum non raro subflavo, livido, quin immo nigro tinctae saepe coalescentes, abrasae, cito renascentes, et incerto

tempore manentes; si aphthae intestina occupent nausea, vomitus, tussis, singultus, raucedo, cardialgia, diarrhoea, fluxus alvi cruentus, colicique dolores comitantur; potum, et cibum metuunt aegri, qui ipsis anxietatem afferunt, et immutati iterum secedunt, nam ab intestinis resorberi nequeunt.

CAUSAE.

Anni consitutio; aer paludosus, humidusque; saburra gastrica; in infantibus meconium, lac pingue ventriculo grave, alimenta concoctu difficillima; infantis corporis mundities neglecta, traspiratio suppraessa, dysenteria, scorbutus, mercurialium abusus, morbilli, variolae, febres nervosae.

PROGNOSIS.

Si aphthae os, et fauces tantum occupant; si albidae, pellucidae, et humidae sunt; si facile decidunt; si post eruptionem symptomata levantur; ubi cutis aequaliter tota, et lingua humescunt; surditas et salivatio fausta sunt signa. Aphthae initio colorem cinereum referentes; quo cutim profunde

exedunt, quo magis coalescunt, et confluunt, vel os, et oesophagum crusta quasi lardacea, crassa, alba, tenaci obducunt; quo saepius recurrunt; quo profundius ventriculum, et intestina occupant, vel circa anum apparent cum respiratione difficili, et summa deglutiendi difficultate; quo magis symptomata sunt vehementia, et corporis animique vires labescere videntur, eo majora pericula instant.

CURA.

Febri aphthis adsociatae accommodanda est. Si morbi initio saburrae gastricae signa adsint emetica lenia, et laxantia mitia caute sunt adhibenda, aliquando enim a purgantium usu hypercatharsis oritur; diluentia et absorbentia; applicationes topicae, quales boracis scrupuli duo, aut drachma ad mellis unciam, cujus pauxillum penicillo frequenter utendum; gargarismata ex avenae, hordei, seminis lini, etc. decocto, in cujus libra dimidia boracis drachmae duo, vel tres solvantur; si tormina, diarrhoea nimis urgent fomentationes calidae abdomini; morbo ingravescente cardiaca; cinchona, vel

sola, vel cum aethere sulphurico admota; moschus, et alia remedia typho graviori aptata.

Arnemann, Comm. de Aphthis; in Frank Sylloge Opuscul. Tom. V. pag. 319. seq.
Caspari, Diss. de Aphthis. 8.° Goetting. 1797.
Diez, Diss. de Aphthis, 8. Erford. 1771 p. 274.
Eyerel, Comment. sup. cit. Tom. VI. pag. 274. seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. III. Ord. II. §. 363. seq.
Slevogt, Diss. de Aphthis, 8. Jenae 1706.

ORDO IV. HAEMORRHAGIA.

CHARACTER.

Pyrexia cum profusione sanguinis absque vi externa, ex aucta arteriarum energia, vel ab excitata sentiendi facultate orta; hypersthenica sunt sanguinis profluvia, vel hyposthenica, in hypersthenicis sanguis missus uti in phlegmasiis apparet.

CAP. I. HAEMORRHAGIA.

SYMPTOMATA.

Plura, vel pauciora e signis sequentibus saepissime sanguinis profluvium antecedunt.

Pyrexia vehemens, ardens; plenitudo, tensio, ardor, vel gravitas partis ipsius, vel ejus vicinae; frigoris sensus, modo levis, modo gravis accedit, eum comitantur plus minusve horroris, et rigoris, nonnunquam nausea et vomitus; subita corporis jactatio, et inquietudo; haec signa sensim decedunt, et calor praeter naturam auctus excipit; pulsus fit frequens, citatus, plenus, validus, atque durus, vel dicrotus et mollis, et sanguis prorumpit; sanguis missus, uti in aliis phlegmasiis apparet. Haec hypersthenicam, sive activam haemorrhagiam comitantur. Symptomata, quae hyposthenicum sanguinis profluvium annuntiant sunt sequentia; languoris sensus, et lassitudo; horrores, et frigor cum pallore totius corporis; sensuum hebetudo; oculorum caligo; anxietas praecordia, et tremor membra invadunt; aurium tinnitus; capitis tumulentia, et dolor obtusus: frigoris sensus in occipite; cordis palpitatio; pulsus exiles, contracti, et celeres; animi deliquia; sudor frontem occupat; frigent extrema; somnolentia, vel sopor; macies tandem corporis cum anasarca, aut hydrope.

CAUSAE.

Plethora universa; evacuationes solitae imminutae, vel suppressae; conformatio partium prava; voluminis vasorum diversa ratio; calor externus; aeris raritas nimia; ligaturae; vulnera; frigus externe admotum; omnia quae sanguinis circuitum accelerant, aut perturbant, hypersthenicas haemorrhagias inducunt. Animi pathemata violenta, praecipue terror; scorbutus; hepatis, vel splenis vitia cronica; hydrargiri abusus; omnia, quae actionem vasorum deprimunt hyposthenicis haemorrhagiis originem praestant.

PROGNOSIS.

Haemorrhagiae, quae in morbis hypersthenicis, ac vegeta, et juvenili corporis constitutione eveniunt, nec nimis profusae, aut parcae sunt, fausta sunt signa, a tali enim sanguinis fluxu quam plurimae morbosae affectiones solvuntur, aut saltem levantur. Haemorrhagia nimis larga, aut saepius recurrens sanguinis effusio in cavum corpo-

ris, aut in viscerum parenchima; si subito ex vasis majoribus erumpit; si vires indies decrescunt, si extrema frigent, et convulsiones accedunt, sunt signa plerumque funesta.

CURA.

Regimen antiphlogisticum stricte est administrandum; si diatheseos hypersthenicae signa, et sinocha nimis urgeant venae sectio; calor externus praecipue est evitandus; refrigerantia praecipue acida, nitrum, et infusum rosae; potus frigidi; enemata emollientia; purgantia lenia, uti serum lactis cum pulpa tamarindorum, cum tartari cremore, vel aliqua calomelani grana; digitalis purpurea; emetica; radix ipecacuanhae refracta dosi ad nauseam tantum ciendam; epispastica; astringentia praecipue alumen, cathecu, ferri praeparationes, frigus externum. Sublata diathesi hypersthenica, vel ac in profluvio sanguinis hyposthenico opiata; extractus hyosciami parva, et refracta dosi; castoreum; moschus; balnea tepida; cinchona. Reditus ejus est praecavendus diaeta parciore, minusve nutriente, exercitatione modica praecipue gestatione, equitatio-

ne, navigatione, alvi leni purgatione, caloris externi, et causarum remotarum evitatione, aequanimitate.

ALBERTI, De haemorrhagiis. 8. Hal. 1752.
BAUMER, Diss. de eo, quod in haemorrhagiis proprium et commune, 8. Erf 1758.
FINK, Dis. de haemorrhagia. 8. Haf. 1689.
FRANK, Epit. sup. cit. Lib. V. P. II. Ord. III. §. 560. seq.
HELVETIUS, Traité des pertes de sang etc. 8. Paris 1697.
PASTA, Del flusso sanguigno. 8. Bergamo 1751.
REIL, Oper. sup. cit. Vol. III. P. I. §. 1. seq.

CAP. II. EPISTAXIS.

CHARACTER.

Capitis dolor, vel gravitas; cervicis tensio; faciei rubor; narium pruritus cum caloris, siccitatis, et plenitudinis sensu; lumborum dolores; stupor manuum; aurium sonitus; surditas; scintillae ante oculos; sudor tenuis circa frontem cum rubore, et ardore; praecordiorum tensio; visus hebetudo; oculorum lacrimatio; arteriarum ad tempora, et ad collum intensior pulsatio;

pervigilium, aut insomnia tumultuosa; maculae rubrae ad nares; pulsus undosi, et dicroti; sanguinis profusio e naribus.

CAUSAE.

Omnes, quae vel sanguinis motum augent, vel ejus regressum e capite praepediunt; inflammatio; erysipelas, rheuma, coryza, ira, sternutatio frequens, studia nimis protracta, verecundia, vociferatio, longa tubarum inflatio, tussis, strumae ad collum, spirituosorum abusus; viscerum abdominalium obstructio; uterus gravidus; vermes; evacuationes solitae suppressae; percussiones; vulnera; errina, et ossium nasalium fractura. Pueros, et juvenes frequentius quam puellas, vexat, raro senes; epistaxis aliquando morbus est haereditarius, et periodice recurrit.

PROGNOSIS.

In pueris, et in morbis hypersthenicis, moderatum sanguinis e naribus profluvium, nunquam sisti debet; praepostera ejus suppressio vertigines, apoplexiam, convulsio-

nes, aurium, et oculorum morbos praecipue amaurosim, phtisim, haemoptysim; aliaque graviora mala gignere potest. Copia sanguinis larga subito effusa; imbecillis aegri constitutio; faciei, et unguium pallor, animi deliquia, corporis languor; extremorum frigor; sudores frigidi; syncope et convulsiones magnum periculum afferunt. Periculosior quoque est si febres hypersthenicas, variolas, morbillos, scorbutum, hydropem, et tabem comitatur. Ex abnormi sanguinis profluvio e naribus hydropes, convulsiones, tabes, febres lentae, et mors ipsa nonnunquam sequuntur.

CURA.

Epistaxis quae in morbis hypersthenicis crisim promovet, vel pueros, hominesque plethoricos, et aetate florentes aggreditur, nullo indiget auxilio. Quando non crisim indicat, est cohibenda corporis, capitisque situ erecto, narium pressione, capitis immersione in aqua frigida, sale muriatico in ea soluto; linteolis polline, vel alumine aut vitriolo albo sparsis, et in nares immissis, irritationis omnigenae evitatione, venae sectione, cu-

curbitulis cruentis cervici, scapulis, aut dorso; reditui ejus occurritur fontanellis, et modis modo memoratis. Si summa adsit virium jactura roborantia, cinchona, cascarilla, praeparationes ferri, opiata. Ad suppressam epistaxim revocandam, calor aquae calidae per nares attractus, vel nasi levior irritatio, scarificatio, hyrudines externis naribus appositae.

Burserius, loc. cit. Tom. III. Cap. XII. §. 355. seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. V. P. II. Ord. III. §. 595. seq.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. II. opp. p. 200.
Reil, loc. cit. Vol. III. Cap. 3. §. 30. seq.
Vogel August., Praelect. Acad. sup. cit. Tom. I. Class. II. Ord. I. §. 259. seq.

CAP. III. HAEMOPTYSIS.

CHARACTER.

Capitis gravitas et dolor, temporum arteriarum palpitatio, oppressionis sensus in pectore; genarum rubor; molesta spirandi difficultas, et cordis palpitatio dum per loca acclivia ascendit; tinnitus aurium; molestus, aut doloris, et aliquando caloris in pectore praecipue sub ster-

nò sensus; totius corporis rigor fugax; dorsi dolores; alvus pertinaciter astricta; pulsus duri et irregulares; lassitudo inusitata; noctes inquietae; somnia turbulenta; dyspnoea; in ore salis sapor; faucium titillatio; tussiendi cupiditas, aut tussis, qua excreatur dulce aliquid; sanguinis spumosi, et floridi ejectio cum rhoncho, et humorum ascendentium in pectore strepitu. Sanguinis quantitas raro est insignis, interdum autem adeo est profusa, ut vitam subito extinguat.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt certa aetas nempe inter decimum sextum, et trigesimum quintum annum; temperamentum sanguineum; sensibilitas nimia; habitus strumosus, praecipue quibus prima aetate glandulae colli et faucium, facile intumescunt, ac frequenti narium haemorrhagia corripiuntur; venus nimis culta; prava thoracis fabrica; tubercula, pulmonis vasa comprimentia; polipi in auricula, vel ventriculo cordis sinistro, aut cordis valvulae ossificatae; victus plenior; obesitas; ignavum vitae genus. Causae occasionales sunt quae

sanguinis velocitatem ultra modum augent; calor externus; affectus animi violentiores; excretionum consuetarum suppressio; haemorrhagiae priores; labes haereditaria; elatio magnorum ponderum; cursus; saltatio; tibiae inflatio; vocis contentio; cantus; vapores nimium acres hausti; frigus externo corpori admotum; aeris incumbentis pondus imminutum vel aer calidus, et siccus; vapores nimis acres, uti acidi muriatici, arsenici, sublimati corrosivi etc. vaporum inalatio. Qui haemoptysi sunt opportuni, insigni plerumque sentiendi facultate pollent; forma corporis tenera, ac gracili, collo longo et exili, thorace magis plano, quam bene fornicato, angusto etiam et humeris alarum forma elatis; voce debili, brachiis nimis longis; eximio, et vegeto oris colore circumscripto; dentibus candidis, aut lacteis et pectinatim commissis, sunt praediti. Pessima est conformatio rhachitica, qua sternum et dorsi spina curvantur, et costae ex utraque parte sunt angustae, ut sanguinis circuitus per pulmones et vasa majora haud libere efficiatur.

DIAGNOSIS.

Capitis gravitate et dolore, faciei rubore, plenitudinis in oculis, naso et ima fronte sensu, cum alterius utriusve naris pruritu, et sanguinis profluvio ex uno tantum nare sine tussi, epistaxis ab haemoptysi dignoscetur. Signa quae haemoptysim, ab haematemesi distinguunt sunt magis manifesta. In hac dolor, ponderis sensus, anxietas, et ardor ad epigastrium, ac praesertim ad scrobiculum cordis referuntur; sanguis plerumque magna copia, et cum alimentis, qui in ventriculo continentur, nigricans, grumosus, ac coactus vomitu rejicitur. Haemoptysis cum stomacace, vel cum stomatorrhagia interdum confundi potest; sed hoc sanguinis profluvium scorbuticis plerumque supervenit, aut ulcera venerea in ore, et faucibus comitatur, quod sola inspectione depraehendi potest.

PROGNOSIS.

Anceps esse debet praecipue quibus opportunitas est praeceps. Quamvis enim si-

gna mitissima fuerint, nonnunquam subito ingravescunt, et aegrum jugulant. Si sanguinis sputa phtisi purulentae supervenerint, malum; si sanguis violenter, et copiose profunditur, suffocatio est timenda. Facillime recurrit et recurrens summum affert periculum. Prognosis magis fausta, si haemoptysi cessante, nullus thoracis dolor, dyspnoea, vel tussis permaneant; vel si ab evacuatione suppressa, vel vi externa sine causis praedisponentibus oriatur.

CURA.

Ad nimiam cordis, et arteriarum actionem minuendam regimen antiphlogisticum sedulo est usurpandum; venae sectio secundum symptomatum violentiam repetita; cathartica; refrigerantia; vomitoria lenia ad nauseam tantum ciendam; aqua frigida; pediluvia; epispastica; cocleare natri muriati; astringentia; digitalis purpurea, aut extractum hyosciami; carbo; corporis, mentisque quies; evitatis vino, motu, venere, cibis acrioribus, et nimio stragulorum vel cubiculi calore; et alia pro haemorrhagiis modo memorata: an postea cinchona, acidum vitriolicum, et opium?

Buechner, Diss. de haemoptysi, etc. 8.° Hal. 1765.
Dreyssig, Traité du diagnostic medical. 8.° Paris 1804. Cap. VIII. Art. I. p. 288.
Hoffmann, Oper. sup. cit. Vol. IV. Part. II. p. 51.
Ludwig, Advers. Medic. Pract. Vol. I. p. 145.
Nova Acta Helvet. 1787. Num. 16.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. III. P. I. Cap. IV. §. 39-51.
Wan-Swieten, Oper. sup. cit. Tom. IV. P. II. p. 51.
Vide etiam Oper. sup. cit. Burserii, Frank, Vogel, Cullen, Mead etc.

CAP. IV. PHTISIS.

SYMPTOMATA.

Plura, vel pauciora signa phtisim antecedunt. Ineunte primo morbi stadio, nil queritur aeger praeter dolorem levissimum in quadam thoracis parte, puncturae parvae instar; tussicula cum titillationis sensu, plerumque sicca, nonnunquam spumosa. His perstantibus, brevi supervenit lassitudo cum angustiae et oppressionis in pectore sensu, quae decubitu augetur, nec non in aere calido et humido, vel in locis ubi multitudine, aliisque causis aer corruptus est, aut post motum celerem, praecipue si scalas ascenderit; pyrexia lenis exercitatione minime aucta; manuum volae ardentes, et

madoris expertes, praesertim die advesperascente; oculi post somnum humidi; urina aucta plerumque rubra; alvus astricta; cutis arida pedum praecipue, aurora adventante; genarum erubescentia; lingua, et os valde rubrae, et nitidae; dentes sunt albidi; dolor lateris fixus, vel dolor lateris utriusque lancinans; cephalalgia; animi deliquia crebra; appetitus defectus, vel cibi varius; exercitationi, vel motui inaptitudo universa. Tum symptomata secundi stadii superveniunt, nempe tussis sicca plus, minusve violenta, levissimis causis exacerbata; raucedo; praecordiorum gravitas, et constrictionis sensus praesertim post motum; in unum magis quam in alterum latus decumbendi difficultas, et respiratio leniter molesta; pulsus ab initio frequens, nunc celer, parvus, debilis, aliquando tamen plenus, atque durus; respiratio multo citatior, quam in salute evadit, costis elevatis, et sono suspirationem referente perficitur; tussis vespere adventante ingravescit sensim, per noctem aegrum vexat, et muci posteaque puris expectoratio accedit, quae omnia phtisim confirmari manifeste ostendunt. Cito apparet stadium tertium, jamque tabescit

corpus, sputa copiosiora, purulenta, colore variantia, nonnunquam sanguine striata cum sapore quasi materiae putrescentis rejiciuntur; hectica febris aliis febribus multum dissimilis supervenit, cujus exacerbationes, bis intra viginti quatuor horas, una obscurior meridiem circa, altera sub noctem (praeeunte plerumque languoris, frigorisque sensu) accenduntur; heae accessiones per aliquot horas, calore et siti auctis, tussi magis molesta, et sputo minus libero perstant; mane sudores plus, minusve profusi corpus magnopere infirmantes erumpunt; absorbetur pinguedo tota, et subsequitur corporis macies; labescunt vires; vultus pallidus, et quasi illotus evadit; notatur facies hippocratica; male quiescit aeger, ac si somnum capit non recreantur vires; urina sedimentum leve, furfuraceum deponit, vel aliquid oleosum supernatans ostendit, et omnia signa aliquid levaminis recipiunt, cute solummodo arida manente; lingua faucesque quasi leviter inflammatae rubent, aut aphthis obducuntur; pallor cadaverosus totum vultum praeter exiguum circumscriptum genarum spatium occupat; vox rauca, ungues adunci fiunt; morbo procedente tunica

adnata margaritarum colorem refert; diarrhoea colliquans cum sudoribus vices alternans; desinunt sputa; imminuuntur sudores; pedes oedematosi, capilli decidentes, elata praecordia, summam virium defectionem demonstrant, et amica mors scenam claudit.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt labes haereditaria, conformatio thoracis prava; cervix longa, humeri elati, thorax angustus, et costae depressae, quae omnia aliquando originem ducunt a quadam corporis positura, nec non a fasciis pectus, et abdomen arcte stringentibus; temperamentum sanguineum; scrofula, et conformatio rachitica, hii praesertim, quibus sunt corporis compago mollis et flaccida, crinis albus, vel potius flavus, oculi cerulei cum tunicae adnatae albore, eximio cutis colore, genarum rubore, columnis nasi tumidis, labii superioris tumore, atque fessura; sensibilitas nimia; rubeola; eruptiones retropulsae; evacuationes immodicae; nimia sanguinis oxigenatio; extranea in pulmones accepta; fumus arsenici, vel carbonum; pedum sudor

suppressus; animi pathemata inordinata; lues; febres continuae. Causae occasionales sunt haemoptysis, et huic morbo plurimum confert prava thoracis conformatio; catarrhus; asthma; pneumonia; tubercula; contagium; vicisitudines frigoris et caloris praecipue in autumnali tempore. Huic morbo magis est obnoxia aetas inter decimum quintum, et trigesimum quintum, vel sextum annum.

DIAGNOSIS.

Morbus hic in primo stadio cum catarrho confundi potest, sed tussis catarrhum comitans humida, stabilis, et plerumque cum coryza adesse solet; dispnoea nulla, vel parvi momenti est, vel a primo morbi ortu nascitur expectoratio, et sputum a pulmonibus facile rejicitur. In phtisi tussis levis, sicca et astricta est, per intervalla revertens; dolor sterno, vel lateri fixus; ponderis sensus in pectore et vomitus cibo assumpto, nonnunquam sequuntur; notanda est etiam debilitas summa, qua a morbi initio phtisis comitatur. Macies, febris hectica cum summo halitus foetore, sudores nocturni, et

diarrhoea colliquativa stadium secundum ab aliis morbis facile distinguunt.

PROGNOSIS.

In Phtisi incipiente anceps est prognosis, ex febris hecticae violentia, debilitate, sputi natura, aliisque signis, plus minusve violentis, eventus judicium est trahendum. Infauste plerumque terminat, et inter juniores, quam senes funestior evadit; si tamen aeger sit validi corporis habitus, si vires haud sint plurimum imminutae; si tussis sit mitis cum expectoratione non valde difficili, nec foetida; si dolor sit parvus cum respiratione libera; si thoracis conformatio sit ampla, neque labis haereditariae, vel scrofulae signa adsint, spes adest sanitatis. Morbus haereditarius; tussis ferina; calor hecticus, et sudores matutino tempore, somnus haud vires refocillans, consumptio summa, diarrhoea, sudores colliquativi, et pedum tumores infausta sunt signa.

CURA.

Sanguinis missio secundum aegri vires in primo stadio, caute autem est administran-

da; ne alvus astricta sit, clysmata emollientia, et laxantia mitiora; diaeta ex lacte, vel vegetabilibus confecta; emetica praecipue ipecacuanha ad nauseam ciendam; regimen antiphlogisticum; epispastica; setacea; nitrum in dosi decem, vel quindecim granorum; ambulatio in aere frigido, et sicco; in stadio secundo diaeta cardiaca stimulans praecipue ex piscibus, testaceis; exercitatio, praecipue navigatio; equitatio; climatis mutatio; locorum arctorum evitatio etc.; digitalis purpurea; aetheris vitriolici, et cicutae vaporis inalatio; aer artefactus. Ad tubercula resolvenda juvant barytes muriata, myrrha, hydrargiri praeparationes; extractum cicutae et hyosciami; an arsenici praeparationes? In stadio tertio balsama naturalia, acida mineralia; aqua mephitica, vel seltzerana, opiata, et alia supra recensita. An cinchona? Ad tussim leniendam scilla praeparata cum gummi ammoniaco.

Baumes, Traité de la phtisie pulmon. 8.° vol. 2. Paris ann. V.

Beddoes, Essai on the causes, early signs, and prevention of pulmonaris consumption. 8.° London 1799.

Castellani, Sulla pulmonare tisichezza. 8.° Mantova 1791.

MORTON, Oper. omn. sup. cit. Phtisiol. Lib. II. p. 16. et seq.

ONTYD, Sur la Phtisie pulmonaire. Vide Annales de Litterat. Medic. Etrang. 8.° Gand. Tom. III. IV. V. VII.

PORTAL, Observations sur la nature et sur le traitement de la phtisie pulmon. 8.° Paris 1793.

REID, Essai sur la nature et le traitement de la phtisie pulmonaire. 8.° Lyon 1792.

SPRENGEL, Inst. Med. sup. cit. Tom. IV. Cap. V. §. 613-621.

Vide etiam Opera BURSERII, SYDENHAM, WAN-SWIETEN, BAGLIVI etc.

CAP. V. HAEMORRHOIS.

SYMPTOMATA.

Ciborum cupiditas depravata, digestio labescens; sapor oris continuo amarus; ructus acidi; ardor stomaci; abdominis inflatio post pastum; flatus copiosi; lingua muco obducta; alvus astricta; cordis palpitatio; urina mucosa; capitis dolor; vertigo; aurium tinnitus; scintillae ante oculos; maculae rubrae per corpus, et faciem sparsae; lassitudo; oscitatio, et sudor post quemvis corporis motum; lumborum, anique dolor, sensum quasi guttae calidae in anum delabentis mentiens; pruritus ani, et glandis;

mingendi difficultas; tenesmus; circa anum tubercula livida, dolentia, e quibus plerumque profluit sanguis, qui aliquando etiam nullo tumore apparente ex ano stillat; pyrexia.

CAUSAE.

Aetas virilis, quae sanguinis congestiones abdominales, et plethoram partialem inducere solet; rheumatismus; arthritis; ulcera herpetica; clysmata acria; calculi; ascarides vermiculares; balnea calida; equitatio; graviditas; vita sedentaria; viscerum abdominalium vitia; alvi durities; cibus et potus immodice sumpti; acria, et aromatica ingesta; venus immodica; animi commotiones crebrae; prolapsus ani; usus purgantium immodicus; quaecunque sanguinis venosi reditum impediunt; recti relaxatio.

PROGNOSIS.

Haemorrhoidum fluxus dum plethoricos, et aetate florentes aggreditur, sanitati haud nocet, sed diu tamen trahit, sensimque minutus, muci fluxum producit, vel esternas venas varicosas reddit. Suppresso autem in-

caute hoc fluxu, subiti et insignes morbi superveniunt, pulmonum et viscerum abdominalium oriuntur vitia; arthritis; icterus; asthma et cordis palpitationes; renum, vesicae, uterique morbi; vertigines; cephalalgiae, et etiam apoplexia. Haemorrhoides antiquae, vel irritatae, in ani fistulas parietibus callosis, et effluxu sanioso nonnunquam degenerant.

CURA.

Si cum hypersthenica systematis diathesi sint haemorrhoides conjunctae, si dolor sit immanis, si pulsus durus, fortis et plenus sit, partesque multum tumefactae, hyrudines parti affectae sunt admovendae, et fomenta sunt utenda; alvus astricta laxantibus amovenda, quorum optima sunt flores sulphuris, oleum e seminibus ricini, tartari cristalli, balsamum copaivae, electuarium sennae et similia; enemata et cataplasmata emollientia; vapor aquae tepidae; astringentia externa, qualia gallae, cortex quercus, frigida lavatio: astringentia interna. Si ab ani prolapsu ortum traheret, rectum quamprimum in suum locum est

restituendum, reditui ejus occurrendum remediis causae ejus aptatis; plethora est amovenda modis sub haemorrhagia memoratis, et causae remotae sunt evitandae. Si diathesis hyposthenica vigeat, et magna adsit vasorum abdominis debilitas, potus frigidus; clysmata ex aqua frigida; infusum ex floribus camomillae cum guttis viginti circiter spiritus nitri dulcis; frictio levis abdominis; ferri praeparationes; cinchonae infusum. Haemorrhoides suppressae sunt revocandae semicupio; leni alvi purgatione; hyrudinum applicatione; equitatione; juvant etiam aquae minerales, amara, et martialia.

Alberti, De haemorrhoidibus Tract. 4. Hal. 1732.
Frommann, Tract. de haemorrhoid. 4. Norimb. 1677.
Ludwig, Adversaria Med. Pract. 8.° Lipsiae 1771. Vol. II. P. III. p. 387. seq.
Oppenheim, Tent. de haemorrhoid. Goetting. 1799.
Siebold et Scherer, Diss. qua morbi intestini recti pertractantur. Vid. Frank Delect. Opuscul. Vol. VIII. pag. 310. seq.
Stahl, Diss. de vena porta porta malorum, 4.° Hal.
Trnka, Hist. haemorrhoidum. 8.° Viennae 1778.
Vide Oper. sup. cit. Burserii, Frank, De Haen, Hoffmann, Wan-Swieten etc.

CAP. VI. MENORRHAGIA.

SYMPTOMATA.

Dorsi, lumborum, ventris parturientium instar dolores; menstruorum copiosior, vel sanguinis e vagina praeter ordinem fluxus; pyrexia, dispnoea, capitisque dolore comitatus. Cum ex signis ante dictis facies pallescit, pulsus vix percipitur, extremitates pallidae fiunt, et frigent, praecordia sunt tensa, et vomitus irriti adsunt cum cordis palpitatione, ac pectoris oppressione, et pedes vespere oedematoso tumore afficiuntur, tunc mensium fluxum immodicum esse licet concludere, et jam perniciosam debilitatem adesse.

CAUSAE.

Plethora; liquores spirituosi; victus lautior; exercitium nimium; ictus abdomini inferiori illati, ejusve contusiones; nisus violenti; evacuationes solitae suppressae; animi pathemata violentia; systematis laxitas, et debilitas; venus immodica; cubicula ni-

mis calida; balnea tepida; abortus crebrior; partus difficilis; uteri obliquitas, aut placentae obliqua adhesio; uteri ruptura, vel laxitas et atonia; alvi durities; frigus pedibus admotum; theae et coffeae usus immodicus. Causa proxima est uteri vasorum aucta actio, eorum laxitas, et ruptura.

PROGNOSIS.

Copia sanguinis larga subito effusa; sudores frigidi et convulsiones magnum periculum afferunt; si ex scirrho, cancro, vel ab alio insanabili uteri morbo, artem eludit; si aegra debilis sit, vel gracilis corporis texturae, et morbus saepe redierit eventus anceps erit. Morbo adhuc recente si aegra vigeat, spes est eventum faustum futurum.

CURA.

Si symptomata adsint hypersthenicae diatheseos venae sectio; regimen antiphlogisticum, praecipue corporis, mentisque quies, et caloris evitatio; diaeta parca; laxantia lenissima nempe tartari cristalli, oleum ricini, flores sulphuris etc.; ne foeces cana-

lem intestinorum irritent, enemata ex aqua frigida; refrigerantia; lectus minus mollis foret, et stragulis levioribus opertus; astringentia interna, ut cerussa acetata, alumen, kino, catechu, cinchona, infusum rosae, cortex quercus, uva ursi; externa, ut linctea aqua gelida pura, vel aceto mixta, vel quercus decocto forti madefacta pelvi, pudendis, vel dorso applicanda; emetica ad nauseam ciendam; abdomini epispastica. In intervallis, causae remotae sunt evitandae, et tonica, qualia cinchona, opiata, angustura, ferri praeparationes, exercitatio modica, et balneum frigidum sunt utenda. An injectio in uterum ex aqua pura cum solutione aluminis, vel sacchari saturni parata? Diaeta tenuis sit, evitato cibo nimis stimulante, vel sanguinis vim favente; duro in lecto cubat aegra et omnes violentiores animi affectus fugiat.

Boer, Rat. medic. obstetr. sup. cit. p. 308.
Baudeloque, l'Art. des accouchemens. 8.° Vol. 2. fig. Paris 1806.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. V. Ord. III. §. 691. seq.
Freind, Emmenalogia, in qua fluxus muliebris menstrui etc. 8.° Lond. 1720.
Leroy, Leçons sur le partes de sang etc. 8.° Paris 1801.

Morgagni, De sed. et caus. morb. sup. cit. Epist. XLVIII. art. 44. seq.
Pasta, Discorso intorno al flusso di sangue delle donne etc. 8.° Bergamo 1752.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. III. P. I. §. 107-120.
Roux, Observat. sur les pertes de sang des femmes etc. 8.° Dijon 1776.

CAP. VII. LEUCORRHOEA.

SYMPTOMATA.

Materiei colore variantis e vagina, vel ex utero fluxus, coxarum dorsique dolore continuo stipatus, vel menorrhagia conjunctus, vel mox secutus, systema totum praesertim ventriculi functiones debilitans. Adsunt pyrexia, appetitus prostratus; dispnoea; facies pallore cito suffunditur; palpebrarum tumor; urina turbida; tristitia; lassitudo; desidiae amor et somnolentia; cordis palpitatio et artuum oedemata. Initio materies albescentis, vel pallidi est coloris; morbo tamen manente in colorem subviridem, seu flavum gradatim mutatur; nunc limpidus sine morsu, nunc acris, vel salsus, alias flavescens, aut nigricans, et aliquando sa-

niosus, interdum inodorus, vel foetidus erumpit; labia pudendorum tumida fiunt cum ardore et calore. Nonnunquam papulae exiguae in parte affecta nascuntur adeo, ut aegrotae internum caloris ardentis sensum percipiunt et pruritus sensationem molestissimam circa pudenda experiuntur; dum morbus inveterascit pleraque alia symptomata, chlorosis, tabes et anasarca eum comitari solent.

CAUSAE.

Causae sunt aer humidus, et frigidus; ignavia, et somno indulgentia nimia; diaeta tenuis, aquosa, concoctuque difficilis; cibi vel potus intemperantia; liquorum spirituosorum abusus; purgantia drastica; evacuationes solitae suppressae, vel copiosiores; rheumatismus; scabies; herpes, et alia exanthemata retropulsa; diathesis scrofulosa; lapsus inopinati; lumborum luxationes; balnei tepidi abusus; animi pathemata; venus effrenata; partus frequens sine infantis lactatione; partus difficilis; abortus; leucorrhoea mulieres, virgines, et nonnunquam etiam infantes saeviter infe-

stat, quae sunt laxioris corporis habitus ab anno quartodecimo sunt magis huic morbo obnoxiae.

PROGNOSIS.

Si morbus recens sit, et materia albicans modica fluit quantitate, si dolor, anorexia, et dispnoeae symptomata minime urgeant; si menses esacte recurrant, et juvenis sit aegrota, spes adest sanandi. Si vero inveteraverit morbus, et systematis vires sint nimis fraetae; si dolores acuti aegrotam vexant, et materia ex utero fluens magis viridem, fuscum, vel nigrum colorem refert, et totum tabescit corpus, tunc prognosis dubia est.

CURA.

Astringentia qualia haematoxylum, et alia supra recensita; vomitoria lenissima; injectiones astringentes in vaginam immissae, praesertim aquae calcis vel solae, vel cum corticis peruviani decocto; in morbo diuturno injectiones ex opio, saccharo saturni, vel vitriolo albo; corticis quercini

gallarumque decocta pubi linteis admota; stimulantia, ut cantharides, terebenthina, balsamum copaive etc.; tonica praecipue cinchona, ferri praeparationes, zincum vitriolatum, et balneum frigidum; rhabarbari pauca grana cum opii grano uno omni nocte per plures menses; suffumigia ex olibano, mastice, myrrha etc. ad genitalia; emplastrum picis burgundicae compositum lumbis admotum foret, et indusium laneum induere convenit; exercitatio; navigatio; equitatio, aut vectio in curru.

Astruc, De morbis mulierum. 4.° Vol. 2. Venet. 1764. Tom. I. pag. 113. seq.
Bottoni, De morbis mulierum. 4. Patav. 1585.
Brera, Giornale di medicina pratica. Tom. II. pag. 350.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. V. ord. II. §. 517. et seq.
Gilibert, Advers. praet. sup. cit. pag. 245. seq.
Herold, Diss. de fluore muliebri. 4. altd. 1790.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. consult. cent. II. et III. N. 106. seq.
Morgagni, De sed. et causs. sup. cit. epist. XLVII. art. II., 25., 26.
Primerosius, De morb. mulierum etc. 4. Rotwod. 1655.
Trnka, Hystoria leucorrhoeae. 8. Vindob. 1781.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. I. §. 395-371.

CAP. VIII. AMENORRHOEA.

SYMPTOMATA.

Dyspepsia; cibi desiderium aut imminutum, vel absurdum; facies pallida vel coloris subviridis, lividi; oculi subsedisse videntur et circulo livente circumdantur; labia rubedinem amabilem perdunt et livida fiunt; palpebrae post somnum maxime turgidae; corporis tumor mollis; pedum frigus et oedema saltem ad malleolos; arteriarum temporalium pulsatio valida; cordis palpitatio vehemens; pulsus modo lenti, modo frequentes, celeres et febriles; animi corporisque torpor; insignis membrorum lassitudo, gravitas, et ad motum inertia; solitudinis et quietis amor; incubus; respiratio citata praecipue post motum; lumborum, coxarum aestus et dolor; nonnunquam etiam cephalalgia; echymoses cutaneae levi a contusione; lypothimiae dum genibus insistit aegra; vertigines; aurium tinnitus; ructus acidi, unde borborygmi, cardialgia; menstrua suppressa cum dolore tensivo ad lumbos, inguina et os sacrum; alvus astricta;

fluor albus; parva hinc inde ulcera, crusta obducta, in cute erumpunt, quae faciem vel brachia quandoque deturpant.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, vita sedentaria, ignava; victus pravus, vel non satis nutriens; animi pathemata deprimentia, praecipue amor infelix; educationis vitia, evacuationes nimis profusae; febres graves antecedentes; mensium suppressio. Causa proxima, est uteri vasorum actio infirmata ab systematis laxitate et debilitate orta.

PROGNOSIS.

Amenorrhoea incipiens, remotis causis excitantibus, facile cedit. Inveterata vero, vel diu neglecta, in hydropem, scorbutum cum epistaxi, vel in febrem hecticam transit. Diu durans quamplurima organica vitia inducit.

CURA.

Systematis tonus est restaurandus exercitatione omnigena; balneo frigido; tonicis

praecipue ferri praeparationibus, myrrhae, kali praeparato, et aromatibus conjunctis; vasorum uteri excitanda est actio catharticis, nempe aloe, calomelano, et similibus; ambulatione; saltatione; pediluviis; fomentis tepidis regioni hypogastricae; ictu electrico; arteriae iliacae compressione, et prae omnibus nuptiis: an gas oxygenium dilutum? Si symptomata hysterica adfuerint, assa foetida; castoreum; balnea calida, tam simplicia quam thermalia; semicupia aromatica; frictiones crurum plurimum conferunt.

Rod. a Castro, De universa mulierum medicina. 4.° Hamburg. 1662. L. I. cap. 2.

Ludwig, Instit. Medicin. Clinicae etc. 8. Colon. Allobrog. 1787. Sect. IV. §. 401. seq.

Mercatus, De morbis mulierum, vide Gyneciorum, sive de morbis mulierum. 4. Vol. 4. Basil. 1588. Tom. IV. p. 355. seq.

Niemann, Diss. de Amenorrhoea. 8. Kil. 1787.

Spens, Diss. de Amenorrhoea. 8. Edinb. 1784.

CAP. IX. SUPPRESSIO MENSIUM.

SYMPTOMATA.

Dolor, et aestus lumborum ac dorsi, coxarumque; arteriarum pulsatio; dolor ca-

pitis; appetitus prostratus; ructus pravi et vomitus; ponderis sensus in regione pubis; alvus dura; pectoris oppressio; dorsi et articulorum dolor, frigoris calorisque vicissitudo; venarum varices; tumores in cruribus praesertim, et pedibus, ac hypochondriis; totius corporis gravitas et imbecillitas; tormina inflationesque ventris, colicae haud absimiles; flatus etiam et murmura, vomitus, ad praecordia anxietas, tussis, dyspnoea, asthma, tabes, cordis palpitatio, et syncope; aures intus sonantes; scintillae, et maculae ante oculos; cardialgia; in capite dolor acerrimus, ad sinciput praesertim et occiput; oculorum gravitas; vertigines; nonnunquam apoplexia et insania; pallor; fluor albus; passiones hystericae, globus praesertim quasi in gutture sursum repians; urina aliquando stillans, aliquando suppressa; alvus dura; pica; cardialgia; haemorrhagiae ab variis corporis partibus, et omnia alia dyspepsiae, et hysteriae symptomata.

CAUSAE.

Uteri vasculorum extremorum rigiditas nimia, sive contractio; atonia, atque debi-

litas corporis universi; ingesta viscida et acida; animi moerores; morbi praegressi; evacuationes nimiae; medicamenta astringentia; vermes abdominales; dentium caries; uteri polypi, sarcomata, et aquosa colluvies; dispositio arthritica, et scrofulosa.

DIAGNOSIS.

Morbi initio cum incipiente graviditate confundi potest, sed cutis pallore, symptomatibus, post tertium vel quartum mensem, perstantibus, et nullo motu in utero percepto mensium suppressio dignoscetur.

PROGNOSIS.

Symptomata, suppressionis tempus, aetas et causarum violentia variam reddunt hujus morbi prognosim. Nonnunquam ex aliis locis sanguis effunditur, et tabes est timenda; vel arthritis, icterus, hydropes, viscerum inflammatio, cutis morbi, insania et apoplexia nascuntur.

CURA.

Si adsit diathesis hypersthenica, et plethorae signa, praesertim si perstant dolor tensivus circa uterum, venarum tumor, faciei color floridus; si pulsus validus, plenus, creber, venae sectio etiam repetita; hyrudines pudendis admotae; cucurbitulae cruentae; uteri vasorum contractio est amovenda balneo tepido, fomentis regioni pubis admotis, et inunctionibus emollientibus; catharticis; emeticis, ad nauseam movendam: si diathesis hypostenicae symptomata apparent, si virium imbecillitas, cordis anxietas, extremorum frigus, pallor, convulsio, et suffocatio urgent, si pulsus sunt exiles parvi, et inaequales, vel si mensium suppressio morbis gravioribus, hydropi vel profusis profluviis supervenerit, a venae sectione abstinendum est, ac tonica praecipue cinchona, opiata, et antispasmodica sunt utenda, his nihil valentibus medicamenta et alia ad speciem priorem aptata sunt adhibenda: remedia haecce plus auxilii adportabunt, si eo tempore quo nisus haemorrhagicus impendet, utantur: ad dymenorrhagiam opiata, pediluvia,

balneum tepidum, et diluentia tepida conducunt.

Bottoni, De morbis muliebribus. 4.° Patavii 1585.
Freind, Emmenologia sup. cit. Cap. X. pag. 66. seq.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Consult. Cent. II. et III. num. 112. seq.
Rahnn, De suppressione mensium. 4.° Ultraj. 1711.
Stahl, Diss. de mensium muliebrium fluxu secundum naturam etc. 4. Jenae 1694.

CAP. X. HAEMATHEMESIS.

CHARACTER.

Sanguinis luridi vel atri per vomitum ex ore rejectio, praegressis ventriculi, viscerumque abdominalium molestiis.

SYMPTOMATA.

Signa hujus morbi prodroma sunt; abdominis constrictio spastica; oppressionis, et tensionis sensus circa hypocondrium sinistrum; ciborum fastidium; nausea cum salivae affluxu in ore; abdominis inflatio; flatuum copia; ructus tetri et sapor ingratus, acidus, vel amarus aegrum vexant;

lypotymiae frequentes, quibus accedunt cordis palpitatio, vertigines, aurium tinnitus, oculorum caligo; tristitia; somnus inquietus cum calore et sudore frigido, glutinoso; palpebrarum tumor; aucta anxietate cum doloribus regionis epigastricae, vomitus supervenit, sine tussi, sanguinis nunc fluidi rubentis, nunc in grumis concreti, ac atri, corrupti, et foetidi; nunc rebus ingestis, ac ventriculo contentis mixti, vel adeo acris, ut dentes obtusos reddat; vomendi conatus per intervalla recurrunt; vires labescunt; adsunt vertigines, et oculorum caligo; somno tamen superveniente symptomata levantur, et oppressio praecordiorum cessat.

CAUSAE.

Plethora; evacuationes sanguinis suppressae; tumores splenem, vel hepar comprimentes; vis externa; arthritis retrocedens; corpora extranea, et venena ingesta; partus difficilis; ventriculi ulceratio; tumores scirrhosi ad pylorum.

DIAGNOSIS.

Ponderis sensus ad epigastrii regionem; anxietas; praecordiorum oppressio, et ardor; sanguinis grumosi, et atri alimentis commixti sine tussi, et magna copia ejectio; haemathemesim ab haemoptysi facillime distinguunt.

PROGNOSIS.

Vomendi conatus violenti, et repetiti; nimia sanguinis jactura; diuturna functionum ventriculi laesio; summa virium prostratio; extremitatum inferiorum paralysis; oculorum caligo, extremorum frigor, et animi deliquia continua, infausta sunt omina. Si a ventriculi, lienis, hepatisque vitiis, malum.

CURA.

Morbus hic plerumque symptomaticus est; si haemorrhagia sit violenta; si adsit plethora vel abitualis haemorrhagiae suppressio, venae sectio, et alia haemorrhagiis idonea

sunt usurpanda; pediluvia; acidum sulphuricum, aqua frigida commixtum; aqua gelidissima; glacies contusa, vel nix epigastrio admoveatur; corporis, animique quies; si menstruorum, vel haemorrhoidum suppressio, vapores, hyrudines genitalibus, aut ano appositis; clysmata emollientia; refrigerantia; in genere astringentia, et tonica qualia cinchona, elixir acidum Halleri, ferri praeparationes, et opium conducunt; diaeta tenuis sit, sed nutriens; si ab evacuationibus suppressis oriatur, heae sunt restaurandae; si a tumoribus splenem, vel hepar comprimentibus, hydrargyrus, cicuta.

CAP. XI. MELOENA.

SYMPTOMATA.

Sanguinis coloris nigri, copiosi, et grumosi, vomitu rejectio; ventriculi dolor, et ardor; cordis palpitatio; anxietas nimia; vultus, extremus pallor; summa virium prostratio; animi deliquia continua; extremorum frigiditas; arteriarum ictus parvi

formicantes, et fere extincti. Haec signa post aliquot horas cedunt, tunc arteriarum pulsationes validae ad epigastrium; secretiones alvinae nigrae, vel subnigrae per duos tresve dies cum doloribus colicis; hypocondriorum tensio; dyspepsiae symptomata; nonnunquam meloena scorbutum, petechiarum eruptionem, typhum graviorem, et typhum icterodem sequitur.

CAUSAE.

Haemorrhagiae, vel aliae evacuationes suppressae; vis externa.

PROGNOSIS.

Epigastrii palpitationes, dyspepsiae signa continua, febris continua periodice sanguinis vomitui superveniens, vel si haemorrhagia in intestinis expanditur sine vomitu, tunc gangraena, et magnum vitae periculum sunt timenda. Ex nimia sanguinis profusione hydropes, vel tabes nascuntur.

CURA.

Eadem fere ac in haemathemesi. Si cum scorbuto, et typho sit conjuncta eadem cura ac in typho graviore.

ALBERTI, Diss. de vomitu cruento. 4.° Halae 1718.
FRANK, Epit. sup. cit. Lib. V. Part. II. Ord. III. §. 611. seq.
FORESTUS, Oper. sup. cit. L. XVI. Observ. 24.
HOFFMANN, Oper. sup. cit. Part. II. pag. 103. seq.
LUDWIG, Advers. Medic. Pract. sup. cit. Vol. I. pag. 165.
PORTAL, Memoires de la societé medicale d' emulation. 8.° Paris ann. VII.
REIL, Oper. sup. cit. Vol. III. Part. I. §. 58-67.
SCHURING, Haematologia. 4.° Dresdae 1744. p. 339. seq.

CAP. XII. HAEMATURIA.

CHARACTER.

Sanguinis liquidi, vel grumosi modo rubri, modo atri coloris cum urina ex urethra ejectio.

SYMPTOMATA.

Plerumque morbus est symptomaticus, vel ex renibus, vel vesica, vel denique ex

urethra prodit. Nephritidis signa praegressa, aut dolores circa renum regionem, intima sanguinis cum urina etiam frigida mixtio; urinae difficilis, vel potius intercepta secretio sunt signa, quae mictum cruentum ex renibus provenire ostendunt. Si vesica sit affecta, dolores circa pubim atroces, angustiae et tensionis sensus, urinae excretio dolentissima, urina muco aut membranaceis filis mixta sanguinem ad fundum depositum comitantur. Si sanguis denique ex urethra prorumpit etiam sine mictu, et sponte distillat, adest urethrae dolor, quae vix compressa sanguinem profundit.

CAUSAE.

Causae, quae excitant haematuriam renalem sunt menstruorum, vel haemorrhoidum suppressio; lapsus; vertebrarum lumbarium luxatio; equitatio nimia, vel vectio in curru per vias saxosas; renum calculi; partus difficilis; uterus gravidus; ponderum gestio; acria diuretica; cantharides; febres ardentes, vel renum inflammatio, aut suppuratio; haemorrhoides sic dictae vesicae; tumores venas vesicae comprimen-

tes; ascarides; violentiae externae haematuriam vesicalem producunt; urethrae ulcera; venus immodica; corpora extranea ex urethra sanguinis fluxum movent.

CURA.

Si a renum inflammatione, vel a calculo oriatur venae sectio, vel cucurbitulae cruentae renum regioni; enemata laxantia; regimen antiphlogisticum; demulcentia; purgantia lenia uti serum lactis tamarindatum; manna; digitalis purpureae infusum, vel pulvis etc., aqua distillata vel oleum essentiale lauri cerasi dilutum, et aqua alkalina sunt utenda; si ab haemorrhoidum suppressione remedia ei aptata sunt usurpanda; si a summa virium debilitate, et cum diathesi hyposthenica sit conjuncta cinchona, tinctura cinnamomi, vitriolum martis, serum aluminosum, gummi kino. Linteum in aegri urina immersum colore rubro tingetur.

Alberti, De mictu cruento, 4.° Halae 1719.
Ballonius, Oper. sup. cit. Cons. I. num. 3.
Desault, Traité des maladies des voies urinaires, sup. cit.
Frank, Oper. sup. cit. Lib. V. Part. II. Ord. III. §. 626. seq.
Hanelmann, Diss. de haematuria nephritica. 4.° Leid. 1768.

Troja, Malatt. delle vie urinarie sup. cit.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. I. §. 290-295.

ORD. V. PROFLUVIA.

CHARACTER.

Pyrexia cum excretione aucta naturaliter non saguinea.

CAP. I. CATARRHUS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia saepe contagiosa cum horrore, et frigore; capitis gravitas, et dolor; lingua arida; urina parca, et aquosa. Febris vespere praecipue ingravescit cum calore caput, collum, manusque infestante; facies, et oculi tument; nares farctae aeris aditum impedientes; muci ex glandulis membranae narium, faucium, et bronchiorum excretio aucta; nonnunquam sternutatio, et oculorum quasi distentio; dolor obtusus in radice nasi a quo humor aquosus acris flue-

re solet: lacrimarum fluxus; faucium rubedo, calor, atque tumor; tracheae asperitas, raucedo, angustiae in thorace sensus; dyspnoea; tussis molesta, primo sicca, postea mucum copiose ejiciens; appetitus nonnunquam languidus, quam ex consuetudine. Sub vespere corpus calescit, aeger pectore dolet, et inter somnum jactat membra; pulsus sunt duri plerumque celeres; alvus modo astricta, modo soluta. „Distil„lat humor de capite interdum in nares, „interdum in fauces, quod pejus est, in„terdum etiam in pulmones, quod est pe„ximum. Si in nares distillaverit, caput „leniter dolet, gravitas in eo sentitur, fre„quentia sternutamenta sunt; si in fauces „has exasperat, tussiculam movet; si in „pulmones praeter sternutamenta, et tus„sim est etiam capitis gravitas, lassitudo, „sitis, aestus, biliosa urina (1). Si distil„latio inveterascit per menses, quippecum „aetate provectos praeceteris afficiat, tunc „dicitur catarrhus senilis.„

---

(1) A. Corn. Celsus, De re medica etc. ex recent. Targae 4.° Lugd, Batav. 1785. Lib. IV. §. 4.

CAUSAE.

Causae remotae sunt frigus corpori admotum, et nonnunquam contagium: causa proxima est membranarum narium, faucium, et bronchiorum mucum secernentium actio aucta, vel inflammatio ex qua major humorum ad glandulas mucosas affluxus.

DIAGNOSIS.

Oculorum inflammatio, epiphora, et exanthematum eruptio, rubeolam a catarrho distinguunt. A Pertussi dignoscetur tussi convulsiva, strangulante, et inspiratione sonora iterata. Phtisis incipientis, et catarrhi symptomata similia sunt, vix igitur dignosci possunt, quippe incerti sunt utriusque morbi limites; ibi incipit phtisis ubi desinit catarrhus.

PROGNOSIS.

Catarrhus maxima ex parte periculi expers, paucorum dierum spatio solvitur, mo-

do aeger morbo incipienti occurrerit; sed in senibus nonnunquam peripneumoniam notham inducit. Appetitus rediens; febris, et inflammationis signa nulla, respiratio naturalis, mucus qui tussi ejicitur tenax et copiosus fausta sunt signa. Appetitus languidus, febris acuta, dolor pectoris sputum parcum, et tenue, tonsillarum inflammatio infausta sunt symptomata. Qui pulmones habent imbecilles, et abitu corporis phthisico sunt praediti, quibus pectus male conformatum, his omnibus periculosa est distillatio ab anno duodevigesimo usque ad annum quintum et trigesimum.

Catarrhus neglectus vel diuturnus in alios magni momenti morbos transire solet; nonnunquam distillatio subito cessat, et serum, vel fibrina in pulmone effunditur unde suffocatio, aut tubercula superveniunt; aliquando haemophtisis excitatur, quae nunquam sine periculo est. Vulgarissima autem catarrhi sequela est phtisis pulmonaris praecipue his, qui arthritide, vel scrofulis laborant.

CURA.

Vix aliud plerumque requiritur nisi a cibo animali abstinentia, et diluentia blanda; si urgeat diathesis hypersthenica cum febre, dolore fixo, et respiratione difficili, sanguinis missio etiam repetita pro aegri aetate, viribus, et temperamento; regimen antiphlogisticum; laxantia; demulcentia; gummi arabicum, vel tragacanthum aqua solutum; decocta ex amylo, vel hordeo, vel seminibus lini; diaphoretica uti pulvis ipecacuanhae compositus, vel antimonium tartarisatum ad nauseam solummodo ciendam; vaporum aquae tepidae inhalatio; expectorantia mitia, uti gummi ammoniacum, kermes mineralis, assa foetida, scylla, poligalae senekae infusum etc., epispastica. Imminuta diathesi hypersthenica, opiata; oleum naso externo est admovendum.

Ballonius, Oper. sup. cit. Tom. III. Cons. CXI. pag. 44. seq.
Bartoletti, Method. in dyspnoeam sup. cit. Lib. V. P. II. c. 15.
Bohemer, De catarrho. 8.° Viteb. 1801.
Cassels, Diss. de catarrho. 8.° Edinb. 1797.
A. Corn. Celsus, loco sup. cit.

Frank, Epit. sup. cit. Lib. V. P. I. Ord. II. §. 505. et seq.
Histor. morbor. Uratislav. sup. cit. p. 47.
Michaelis, Diss. de catarrho. 4.° Lip. 1634.
Reil, Diss. de catarrho. 4.° Hal. 1796.
Schneider, De catarrhis. 4.° Lib. VI. Viteb. 1660.
Soemmering, Malatt. dei vasi assorbenti loc. cit.

CAP. II. DYSENTERIA.

CHARACTER.

Morbus contagiosus intestinorum torminibus, et tenesmo designatus, retenta alvi excretione, aut mucosae, vel cruentae materiei dejectione stipatus.

SYMPTOMATA.

Varia sunt hujus morbi initia; nonnunquam ab horrore cum summa debilitate, lassitudine, nausea, lingua sordida flavaque, ac sapore amaro, et non raro vomitu bilioso incipit: haec signa brevi excipiunt caloris sensus, capitis, dorsi, et lumborum dolor; arteriae celeriter moventur. Febris varia est, modo gravior, modo levior, alias

tertianae remittentis, alias diatheseos hypersthenicae, saepius autem hyposthenicae, et typhi inditia praebet; aliquando nullis fere febris signis antecedentibus aggreditur. Singultus nonnunquam urget, et aeger torminibus corripitur modo fixis, modo erraticis, quae a parte umbilici superiore deorsum, vel sursum vibrantur; frequens dejiciendi cupiditas, et dolor in ano sunt; dejectiones parcae, frequentes, mucosae, spumosae, sebaceae, vel sanguinolentae, et fimbriis membranaceis admixtae, retentis plerumque foecibus alvinis, vel massulis stercoris indurati (scybala appellatis) solummodo comparentibus. Morbo progrediente lingua muco obducitur albo, vel arida fit, et nigricans; sitis inexplebilis urget; cutis arida, et tota fere squamulis exasperatur; stranguria, nonnunquam ischuria; arteriarum pulsus tardi, ac debiles; urina modo livida et nigra, modo liquida et pura; dejectiones alvinae foetorem intolerandum diffundunt, vel aegro nesciente descendunt putridae, et pessimi odoris; delirium; convulsiones, subsultus tendinum, petechiae, et aliquando oris, ac faucium aphthae superveniunt; sudor gelidus, ac visci-

dus prorumpit, deglutitio difficilis fit, corporis extrema frigent, et aeger absumitur.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt aer frigidus, ac humidus, vel calidus, ac humidus, uti in locis paludosis; vapores putridi frugum, aut cadaverum putrescentium; cibus parum nutriens; fructus horracei immaturi; aquae impurae vel diutius servatae; animi pathemata deprimentia; exercitatio corporis violenta; liquorum inebriantium abusus. Causa excitans specificum est contagium; castra, urbes obsessas, et classes saepe infestat. Causa proxima esse videtur intestinorum, praecipue coli constrinctio spastica, vel actio nimis aucta.

DIAGNOSIS.

Dysenteria distinguitur a diarrhoea torminibus saevioribus, et scybalis induratis sanguine tinctis; in diarrhoea enim foeces naturales semper dejiciuntur, his accedit quod diarrhoea nunquam est contagiosa. Dejectiones copiosae magna bilis quantitate

commixtae; vomitus minus frequens, dolores abdominis multum intensi, choleram a dysenteria distingunt.

PROGNOSIS.

Incertum est hujus morbi judicium. Tenesmus, et vomitus valde vehementes; singultus, foeces valde foetidae; dolor subito cessans cum pulsu intermittenti, et debili; magna virium prostratio, petechiae, maculae, aut vibices; faucium inflammatio; deglutitio difficilis; delirium; convulsiones; summa praecordiorum anxietas, infausta sunt signa. Diaphoresis lenis, et per totum corpus diffusa; dejectiones minus frequentes, et copiosiores; pulsus tardior, mollior, ac plenior; tormina, et tenesmus minus intensa; cibi appetentia, et vires parum fractae, fausta sunt signa. Si scorbuticos, senes, tabidos, vel teneras mulieres aggreditur periculosior.

Cadaverum sectio intestina crassa, colon praesertim et rectum contracta, anguillis similia, aere distenta, gelatina obducta, inflammata, ulceribus sparsa, vel gangraena affecta demonstrat. Tunica vil-

losa abrasa, vel quasi variolis, aut tuberculis caseosa substantia repletis, consita, nonnunquam carunculae in ulceratis intestinis, interdum tubercula mesenterii, et abscessus inveniuntur. Tuberculorum interstitia occupant maculae quaedam parvulae, rotundae, nigrae, illas simulantes; quae interstitia variolarum obsident. Fellis vesica bilem continet porraceam, viscidam, vel atram, atque nigri coloris; sanguis in intestinis effusus valde est niger.

CURA.

Venae sectio, si urgeat diathesis hypersthenica; emetica, et magis poterint si non tantum vomitum, sed alvum quoque moverint, praecipua sunt ipecacuanha, et quaedam remedia ex stibio praeparata, ut antimonium tartarisatum, vel vinum antimonii tartarisati. Cathartica repetita, praesertim natrum vitriolatum, oleum e seminibus ricini, soda phosphorata, vitrum antimonii cerati etc.; et omni nocte post catharticorum usum opiata, ac prae omnibus pulvis ipecacuanhae compositus; enemata larga ex amylo, vel lini seminibus parata, demul-

centia; mucilaginosa; fomenta; semicupium; epispastica; diaeta ex lacte, et oryza. Quando amoveatur diathesis hypersthenica, actio intestinorum tonicis, et astringentibus est restauranda, cinchona libera manu praescribenda est; si alvum nimis moveat cum opii pauxillo est danda; vinum; cortex simarrubae; lignum campechense; succus japonicus; cortex cascarillae; radix columbo; gummi kino; epispastica abdomini, quo dolor sentitur, sunt imponenda; aer recens, et frigidus in aegri cubiculum est admittendus; mundities summa. An calomelas ad salivationem lenem ciendam? An extractum nucis vomicae in dose grani, et dimidii ternis horis? An sulphas zinci? Si sub intermittentis typho compareat febris, cinchona est administranda. Ad recidivam praecavendam vicissitudines caloris, et frigoris sunt evitandae.

Akensid, Comment. de dysentericis. 8.° Lond. 1764.
Baker, De dysenteria Londinensi. 8 Lond. 1764.
Burserius, Oper. sup. cit. Tom. IV. §. 58. seq.
Cleghorn, Epidemical diseases of Minorca. 8. London 1768. Cap. V. pag. 244. seq.
Goete, Pathologia dysenteriae 8. Halae 1794.
Huxam, De aere et morb. epidem. 8. Venet. Vol. 2. 1764. Vid. Tom. II. pag. 98.
Lambsma, Ventris fluxus multiplex: 4. Francof. et Lips. 1792.

Moselei, On te diseases of Tropical. climates. 8. Lond. 1781.

Soemmering, Malattie dei vasi assorbenti. loc. cit.

Starck, Tentamen de dysenteria. 8. Mogunt. 1760.

Zimmermann, Traité de la dyssenterie. 12. Lausan. 1794.

Vide etiam Frank, Sydhenam, Ballonium, Wan-Swieten, Vogel etc.

CAP. III. CHOLERA.

CHARACTER.

Humoris biliosi vomitus, ejusdem simul dejectio frequens, anxietas, tormina, surarum contractio, et magna virium prostratio.

SYMPTOMATA.

Gravissimus hic morbus vel repente ingruit, vel signa gastricae saburrae eum annuntiant; lassitudo, sapor in ore amarus, ventriculi tensio vel plenitudinis sensus in praecordiis, ructus acidi, cardialgia, salivae frequens dejectio, et lingua sordida nonnunquam praecedunt. Mox intestinorum et ventriculi dolores atrocissimi subsequuntur cum vomitu et immoderato alvi fluxu;

Materies quae vomitu et alvi profluvio dejicitur, initio aquea, vel alba et limpida est, dein ciborum reliquiis mixta, tandem bilis acris, porracea, foetida, modo nigri coloris, modo flavi et aeruginosi, plerumque valde acida ejicitur. Partes internae immani ardoris vel quasi canis rodentis sensu vexantur, praesertim umbilico tenus; frigent extrema; animi dejectio; manuum tremor, facies pallida, collapsa et maxime mutata est, praecipue si dolor, vomitus alvique fluxus vehementiores et celeres sunt; pulsus sunt debiles, exiles, creberrimi; horror et calor se excipiunt; tenesmus, musculorum brachii, crurum et surarum spastica contractio: aliquando post viginti quatuor oras malum remittit, tunc cutis leni sudore madet, et dolores mitescunt; sed brevi recurrunt atrocius, cardialgia, inquietudo, vomitus et alvi dejectiones magis urgent; dentes nigrescunt; halitus oris foetidus est; vires magis magisque labuntur; singultus accedit; tendinum subsultus; animi deliquia; deglutitio impedita, convulsiones, gangraenae signa et mors.

Sunt qui choleram in *legitimam* et in *spuriam*, seu melius in apyreticam et in febrilem

distinguere solent. Quamplurimi inter recentiores medicos in hypersthenicam et hyposthenicam choleram dividunt, sunt tamen ii qui hypersthenicam hujus morbi existentiam haud concipere possunt.

CAUSAE.

Causae remotae sunt aestas calida; acria ingesta; crapula; fructus immaturi nimis libere sumpti, ut melonum, cucumerum, malorum persicorum esus; aqua frigidissima; carnes nimis pingues; casei et fungorum ingestio; vomitoria et cathartica; animi pathemata; miasmata ex paludibus orta; bilis acris; excretiones aliae suppressae; podagra anomala: mense augusti plerumque grassatur hic morbus. Causa proxima est ventriculi et intestinorum incitatio laesa vel eorum motus perversa mutatio.

DIAGNOSIS.

Cholera mitis a diarrhoea biliosa difficillime dignoscetur; ex eisdem enim causis proveniunt, eisdemque remediis cedunt. A dysenteria signis sequentibus discerni po-

test: dysentericis dejectiones exiguae, mucosae, sanguineae, valde foetidae, interdum saniosae sunt; haec omnia in cholera sunt penitus diversa. Colica biliosa cum hoc morbo facile confunditur; in illa autem dolor umbilicum, haud raro spinam versus prae caeteris ventris partibus, acuto morsus sensu cruciat; abdominis musculi in validas contractiones cientur, ac vomitus bilis non est perpetuus: in cholera vero ventris tormina non adeo saeva existunt, sed vomitus fere continuus et bilis copiosa adest ejectio.

PROGNOSIS.

De hujus morbi exitu, qui cursum plerumque summa cum velocitate absolvit, caute est judicandum. Somnus, vomitu cessante, accedens, aut morbus ad diem septimum excurrens, vires non multum fractae; arteriarum ictus satis validi, solitus artuum calor, dejectiones naturales aut bilem saltem referentes, fausta sunt indicia. Rejecta admodum nigra; sitis calorque vehementes; pulsus valde debilis et intermittens; anxietas ingens; respiratio difficilis et accelerata;

extremorum frigus perpetuum, cordis palpitatio, singultus, syncope et convulsiones infausta sunt signa. Si color foecum nigricans, gangraenae mortisque instantis, signum minime fallax censeri debet.

Cadaverum incisio bilis vesicam mole auctam atque flaccidam, ductus biliferos relaxatos, canalem choledochum amplum et distentum, ac intestinum duodenum praecipue ostiumque ventriculi dexterum, gangraena affecta, extrinsecus bile suffusa ostendit.

CURA.

Si diathesis hypersthenicae signa adsint, si aeger plenior, et arteriarum ictus duri sint et contracti, venae sectio et vesicatoria, sed caute sunt adhibenda; quamquam enim sanguinis detractio vomitum statim sedet, prae debilitate tamen, quam aegro inducit, plurimum nocebit. Diluentia ex aqua tepida vel jusculo pullino libere sunt utenda et in alvum immittenda; aqua autem frigida his omnibus anteponenda, hoc enim remedium etiam ab antiquissimis medicis commendatum fuit; dein opiata, et stimu-

lantia. Sed si ab ipso morbi initio hyposthenicae diatheseos symptomata, si vomitus, alvi dejectiones, tormina et spasmi graviter saeviunt, sine intermissione, aut etiam sine remissione; si vires sint nimium fractae, opium statim, vel pilularum forma, vel tincturae aqua cinnamomi vel melissae commixtae, vinum et alia stimulantia interne et in clysteribus sunt adhibenda; citratum potassae, inter effervescendum datum, ad vomitum sedandum plurimum valere dicitur, etiam ubi opium votis non respondet; si surarum spasmata urgeant enemata anodyna, et surarum cum camphora, oleo soluta, frictio: morbo profligato, ejus reditui occurritur frigoris evitatione, diaeta levi, nutriente, et concoctu facili, cinchona denique et aliis remediis quibus vires reficiantur. Si cholera perniciosas febres comitatur, remedia iis aptata, sunt usurpanda.

Appur, Diss. de cholera humida, 8°. Gotting. 1760.
Cael. Aurelianus, De morbis acutis. 4.° Amstelod. 1721. Vid. Lib. III. Cap. XXI.
Dummet, Diss. de cholera. 8.° Edinb. 1799.
Frank, Epitom. sup. cit. Lib. V. P. II. Ord. IV. §. 672. seq.
Kissel, Diss. de cholera. 8. Giess. 1788.
Macbride, Oper. sup. cit. Tom. I. p. 461.
Sydenham, Oper. sup. cit. Tom. I. pag. 106.

Tralles, Historia cholerae atrocissimae quam sustinuit ipse etc. Vratisl. 1753.

CAP. IV. DIARRHOEA.

CHARACTER.

Dejectio frequens foecum naturalium, humoris lactei vel ingestorum parum mutatorum cum torminibus, nausea et vomitu; morbus non contagiosus, pyrexia nulla primaria, et sine tenesmo.

SYMPTOMATA.

Lassitudinis sensus; ventriculi oppressio; ciborum aversio; abdomen tensum, alvus adstricta, et borborygmi diarrhoeam praecedunt. Deinde ventris dolor, modo hanc modo illam abdominis partem infestans; flatibus hinc inde cum strepitu erumpentibus, alvi dejectiones superveniunt; materies quae ejicitur modo copiosa, pultacea, liquida et foetidissima est; modo bilis colorem refert, subflava vel viridissima est; nunc vero foeces paucae sunt, liquidae, sero vel aquoso

latice commixtae, quae repente cum caloris quodam ad anum sensu se praecipitant; tandem morbosam materiem, pellucidam, gelatinae formam prae se ferens, inodoram, albescentis vel grisei coloris, puriformem, striis sanguinis tinctam, vel foetidissimam cum summo interdum dolore, aegri ex intestinis effundunt. Urina parca, et cutis plerumque sicca adsunt. Morbo aucto vel diu protracto, facies pallida evadit; labescunt vires; corporis consumptio, cutis flaccida, et frequentes lypothimiae sequuntur; pyrexia accedit lenta; ulcera exsiccantur; capilli decidunt; pedum oedema, tabes, hydropes vel dira intestinorum inflammatio tandem superveniunt.

CAUSAE.

Causae remotae sunt frigus pedibus applicatum; vasorum intestinorum absorbentium actio imminuta; ingluvies et crapula; perspiratio subito repressa; effluvia putrida; fruges nimis libere sumptae; vermes; intestinorum tunicarum inflammatio erythematica; nimia bilis copia; purgantia drastica; venena ingesta; intestinorum catarrhus, sive

muci intestina obducentis nimia secretio; mercurialia; urinae profluvium ex ulcere vesicae rective intestini; sanguinis fluxus, haemorrhoidum vel lochiorum suppressio; plethora abdominalis; arthritis retrocedens et rheumatismus. Causa proxima est intestinorum actio nimis aucta, vel imminuta ac debilis.

DIAGNOSIS.

Diarrhoea ab omnibus aliis morbis signis modo memoratis facile dignoscetur.

PROGNOSIS.

Pro vario diarrhoeae eventu, consideranda inprimis sunt, aegri vires, constitutio, morbi genius et diversa morbi tempora. Robusta enim et plena corpora magnas etiam evacuationes ferunt; diarrhoea quae mensibus aliisque profluviis suppressis, crapulae, vel vermibus copiosis supervenerit, bonum erit signum; quae vero morbis diuturnis, atrophiae, tabi, hydropi, scorbuto etc. lethalis est. Mobiles et tenerae foeminae a levibus etiam evacuationibus pessime affi-

ciuntur. Ex diuturno alvi profluvio atrophia, macies, debilitas et summa virium inanitio; leucophlegmatia; hydrops; tabes.

CURA.

Si diathesis hypersthenicae signa, et diarrhoea haemorrhoidum, vel menstruorum vel lochiorum suppressioni supervenit, et ventris dolore acuto vel febre comitatur, venae sectio; hyrudines ano et perinaeo sunt apponendae; methodus antiphlogistica; emetica repetita et postea dosi refracta ad nauseam movendam; diluentia; demulcentia, qualia thea ex seminibus lini parata, decoctum hordei: si a sordibus collectis in primiis viis vel a vermibus oritur, vomitoria, praecipue radix ipecacuanhae, serum lactis, tamarindi, vel parvae cremoris tartari doses, et alia cathartica; an gambogia gutta? Si pedum sudor vel cutis traspiratio suppressa sit diarrhoeae causa, pediluvia, pulvis ipecacuanhae compositus, infusum sambuci cum spiritu mindereri, decoctum cornu cervi etc., opiata. His remediis frustra adhibitis si haud sistitur alvi profluvium, astringentia ut kino, alumen, catechu, extractum haematoxyli, ar-

nicae montanae radix a drachma dimidia ad unam omni tertia hora, radix columbo, et alia similia. Diarrhoeae inveteratae vel cum diathesi hyposthenica conjunctae, tonica ut cinchona, angusturae cortex, cascarilla, opiata etc., absorbentia conveniunt; enemata amylo ac opio commixta; diaeta praecipue ex carne assa vel jusculis. Diarrhoea typhum graviorem aliasve febres, et podagram retrocedentem comitans, remediis idoneis alibi recensitis est amovenda.

Burserius, Oper. sup. cit. Tom. IV. Cap. V. §. 56.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. V. Ord. IV. §. 675. seq.
Lambsma, Fluxus ventris multiplex. 8. Francof. 1792.
Piso Carol., De morbis ex serosa colluv. sup. cit. pag. 234.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. III. Part. II. §. 216-230.
Vogel August. Praelect. sup. cit. Tom. I. §. 321-325.
Wan-Swieten, Oper. sup. cit. Tom. II. §. 719. seq.

CAP. V. LIENTERIA.

CHARACTER.

Dejectio sive alvi fluxus, in quo alimenta minime confecta vel parum immutata redduntur.

SYMPTOMATA.

Morbus hic ut plurimum diarrhoeae diu protractae supervenit. Bulimia vel fame insatiabili incipit; praecordia tensa sunt et turgida; plenitudinis sensus statim ac ingesta in ventriculo descendunt; sapor in ore mucidus vel stramineus; appetitus prostratus et cibi fastidium, praecipue lactis et jusculorum; dolor ventriculi modo levis modo nullus, sed morbo aucto, dolores colici et intestinorum aegrum vexant. Cibi potusque post pastum expelluntur parum aut plane non mutati ita, ut colorem, odorem et consistentiam priorem referant; corpus alimenti fructum non sentit, unde tabes et virium prostratio. Quae dejiciuntur initio sunt inodora, dein vero foetidissima evadunt, ac muco vel bilioso latice sunt mixta. Sitis ardens, nullum cibi desiderium, ingens debilitatis sensus et inquietudo summa per noctem saeviunt; urina ardorem excitat et parca copia fluit, oleosam superficiem vel cuticulam varii coloris exhibet; ventriculi gravitas, ardor in hypochondriis, nausea, et salivatio apparent. Contabescit aeger,

abdominis inflatio molesta, nonnunquam hydropes vel dysenteria subsequuntur. Morbo ingravescente, febris hectica cum sudoribus viscidis vel glutinosis totum corpus infirmantibus; pedum et manuum tumor; defluunt capilli, frigent extrema; vires indies labescunt; exanthemata varia cutem deturpant; consumptio et mors.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, dysenteria; hydropes; scorbutum; phtisis pulmonaris; febres intermittentes perniciosae, nec non febres nervosae vel hyposthenicae. Causa proxima est ventriculi et duodeni summa atonia.

PROGNOSIS.

Si nullum ulcerum in intestinis vestigium, si accedunt ructus acidi, et pyrosis cum urina cocta et copiosa, quae digestionis functionem melius se habere designant, fausta erit prognosis. Si lienteria diu noctuque est magis assidua; si ciborum appetitus est prorsus abolitus; si os et fauces aphthis deturpantur, et respiratio difficilis evadit,

si quod excernitur est fere immutatum, aut nigrum et pessimi odoris, morbus fere exitialis est; in tabem enim, hydropem aut tympanitim degenerat.

Cadaverum sectiones mesenterium abscessu affectum, intestina ulceribus deturpata, ventriculi et duodeni tunicam villosam ejusque plicas evanidas, nec non pylorum resolutum et amplum demonstrant.

CURA.

Eadem fere est ac in diarrhoea praesertim hyposthenica vel chronica.

Bontius, Medic. Indor. sup. cit. Lib. III. Cap. XII.
Burserius, Oper. sup. cit. Vol. IV. §. 54.
Coschwitz, Diss. de lienteria. 4.° Hal. 1727.
Dreissing, Traité de diagnostic medic. sup. cit. Cap. XI. pag. 364.
Eglinger, Diss. de lienteria et fluxu coeliaco. 4.° Basil. 1667.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. V. Ord. IV. §. 683.
Soemmering, Malattie dei vasi linfatici sup. cit.
Vogel Aug., Prelect. sup. cit. Tom. I. §. 328. seq.
. . . . Diss. de lienteria. Goetting. 1770.

CAP. VI. FLUXUS COELIACUS.

CHARACTER.

Humoris mucosi, plerumque lactei coloris vel cinerei frequens ejectio, cum tenesmo, nonnunquam remittens sed iterum rediens.

SYMPTOMATA.

Repente plerumque incipit, nonnunquam vero lentus et diuturnus est morbus. Ponderis sensum in ventriculo persentit aeger; dolor obtusus in regione hypochondriorum, umbilici et lumborum eum vexat; calor et frigor invicem sese excipiunt; abdominis inflatio molesta; appetitus prostratus vel nimis excitatus: mox ructus acidi, praecordiorum anxietas, tormina et ponderis sensus intestinum rectum divexant. Alvi profluvium tunc accedit, materies quae ejicitur albida, lactea, cinerea, striis sanguineis mixta, vel muci naturam refert; modo alvus ordinate fluit per diem integrum, postea vero, statim ac aliquid ingerit aeger, morbosa alvi dejectio

recurrit, praecedente tenesmo. Nonnunquam per octo aut quindecim dies fluxus remittit, cum illico regreditur malum, praeviis borborygmis ventrisque tensione, quamplurima excernuntur pultacea, lactea aut grisei coloris excrementa, vel spumantia et inodora vel foetidissima. Cum morbus per longum tempus, imo per menses perdurat, tunc febris hectica, et tabes superveniunt; debilitantur vires; facies pallet, extenuatur corpus, extremitates intumescunt; venter turget; noctes fiunt inquietae; sudores viscidi e pectore et capite erumpunt; frigent extrema dum intestina interno caloris sensu afficiuntur, et morbus lethalis evadit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, scrofulae; arthritis; haemorrhoidum suppressio; morbi cutanei retropulsi, praecipue scabies; diarrhoea diuturna; febres hyposthenicae quae glandulas infirmant, et lymphae absorbtionem adficiunt: causa proxima, in glandularum intestinarum auota vel mutata actione consistere videtur, unde muci excretio morbosa evadit vel magna copia secernitur.

PROGNOSIS.

Morbus hic longus vel diuturnus evadit, difficulter enim sanatur, nulli parcens aetati, pueros, juvenes ac senes, vel delicatas mulieres aggreditur. Aliquando dysenteriae, lienteriae et cholerae aspectum induit, unde facillime cum his morbis confundi potest.

CURA.

Omnia quae hunc morbum comitantur symptomata, diathesim hyposthenicam indicant, ad curam igitur caute est progrediendum; emetica et purgantia drastica ut plurimum nocent. Ad actionem ventriculo et intestinis restituendam remedia stimulantia, praecipue tonica, talia sunt opiata, cinchona, camphora, cascarilla, nucis moschatae preparationes, aqua cinnamomi, radix arnicae montanae etc. Diaeta levis sed nutriens sit, ex jusculis carneis composita. Abdominis frictio; sacculi aromaticis plantis repleti et ex vino expressi regioni abdominali impositi; equitatio, corporis exercitatio

lenis; frigoris et caloris vicissitudinis evitatio, plurimum conferunt. Sed si nimia adsit intestinorum sensilitas, si alvi fluxus tenesmo, abdominis dolore et summa ventriculi irritabilitate comitatur, a remediis stimulantibus cave, gravissimam enim intestinorum inflammationem excitare possunt; interdum extracta cicutae, vel jusquiami, poligala seneka etc.; fomentationes tepidae abdomini; enemata mucilaginosa ex decocto radicis altheae, vel cum gummi arabica composita; balnea tepida.

Araeteus, De sign. et caus. morb. sup. cit. Lib. II. Cap. VII.
Cael. Aurelianus, Oper. sup. cit. Lib. IV. Cap. III.
Flies, Comment. de morbo coeliaco. 8.° Halae 1792.
Kummer, Diss. de passione coeliaca. 4.° Basil. 1709.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. III. Part. II. §. 221. seq.
Soemmering, Malattie dei vasi linfatici sup. cit.
Triller, Opuscul. Medicin. 8.° T. I. pag. 281.
Uhthoff, Diss. de morbo coeliaco. 4.° Goetting. 1787.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. I. §. 333-343.
. . . . Diss. fluxus coeliaci genuina notio etc. 4.° Goetting. 1768.

CAP. VII. CYSTIRRHOEA SEU CATARRHUS VESICAE.

CHARACTER.

Stranguria, urina reddita albida vel lactis seri instar; ex eadem, post breve temporis spatium materiae mucosae et non friabilis depositio.

SYMPTOMATA.

Signa adsunt nonnulla quae aliquando hunc morbum praecedunt, quae secundum morbos quibus hic conjungitur, varie et diversimode se habent. Si catarrhum vesicae haemorrhoides comitantur, tunc conatus haemorrhoidales sunt hujus morbi prodroma; alvus pertinaciter est adstricta; dolor ad lumbos, qui usque ad vesicam extenditur, cum tensionis ac ardoris sensu ad perinaeum. His perstantibus, mictio adest vel mingendi cupiditas frequens; urina difficulter, vel parva copia redditur; resistentia quaedam cum pressionis sensu ad vesicae collum percipitur unde urinae obstructio,

cum dolore, et calore, quasi aqua fervens per urethram flueret. Mingendi desiderium ita frequens nonnunquam evadit, ut omni fere horae minuto saepius occurrat, nec aeger urinam retinere possit. Morbi initio, urina est valde rubra, ut sanguinea videatur; postea vero albida, ac seri lactis colorem refert, et materiam viscidam, mucosam, ovi albumini similem, deponit, quae modo nullum odorem refert, modo foetidissima ac putrida ut nares impingat. Si muci secretio sit modica, cum urina confunditur, urina turbida, pallida, striis membranaceis commixta apparet; si vero mucus magna in copia secernitur, qui pro magna ejus visciditate ac tenacitate in fila diducitur, et conatus vehementissimos vel ardoris et pressionis sensum in collo excitat vesicae; nonnunquam materies deposita formam induit quasi laniatam, si ejus parva quantitas sit; aliquando vero tam magna est ut urinae dimidium excretae fere superet. Haec autem variant, pro majore vel minore temporis spatio, quo urina in vesica retinetur. Morbo diu perstante, tabes supervenit et virium dejectio; tenesmus frequens est cum copiosa alvi dejectione; interdum ab inte-

stino recto materies, illae ex vesica similis, mucosa excernitur; tandem febris hectica, hydropes et vesicae gangraena scenam claudunt.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, equitatio assidua et laboriosa; onanismus; venus immodica; urethrae coarctatio; prostratae tumores; diathesis arthritica; syphilis; vaginae in foeminis vel recti intestini morbi; menstruorum vel haemorrhoidum suppressio; partus frequens; vermes intestinales; sordes gastricae. Causae excitantes sunt; calculi in rene, pelvi renali, uretere vel in vesica ipsa; tempestas nimis frigida; remedia diuretica, uti cantarides, balsamica etc.; ulcera vesicae; arthritis anomala; nimia urinae retentio. Sexum virilem, raro foeminas tentat; senes, praecipue qui nimium liquoribus spirituosis indulgent, et rubro quasi flammeo faciei colore sunt praediti, facilius quam juvenes et aetate florentes hoc morbo afficiuntur.

DIAGNOSIS.

Ex gonorrhoea dignoscitur, nam in hac muci ex urethra stillicidium perpetuum est, in cystorrhoea vero nonnisi cum urina secernitur. A diabete mellite facile discernitur, in hoc enim morbo quamvis urina turbida et lactea sit, saporem tamen dulcem et melli similem refert, ac totius corporis tabe conjungitur. Inter pyuriam idest muci et puris mictionem, ac cystirrhoeam distinctionem interesse apparet. Pus friabile est, minus vero tenax et viscidum, ut matulae fundo tenacissime aliquando adhaereat, et in fila longissima diducitur; puris excretio cum febre hectica, et vesicae ulcere stipatur; muci vero secretio per longum tempus sine febri hectica, absque vesicae exulceratione perdurat. A leucorrhoea tandem distinguitur, materia enim mucosa e vagina semper fluit, nec urina unquam turbida, neque sedimentum album deponit.

PROGNOSIS.

Hujus morbi prognosis a causarum indole, ejus duratione, ac symptomatum natu-

ra est deducenda. Si morbus per longum tempus inveteraverit, et corporis consumptio adsit cum hectica febri, si a calculis in ureteribus, pelvi, seu renibus exortus, vel si ab arthritide anomala originem ducat, tunc eventus infaustus erit. Si cystirrhoea tantum symptomatica vel recens sit, spes adest salutis. Attamen in omni fere casu, perfecta ejus curatio nunquam est espectanda.

Cadaverum incisio vesicam urinariam mole ac densitate adauctam, glandulas mucosas tumefactas, internam superficiem abrasam vel ulceratam, prostratam scirrhosam, internas vesicae venas varicosas, vel calculos in rene, pelvi, uretere vel in ipsa vesica ostendit.

CURA.

Si cum vesicae inflammatione conjungitur, et diathesis hypersthenicae signa adsunt, si morbus recens est, vel subjectos robustiori corporis habitu praeditos vel aetate florentes aggreditur, si pulsus sunt duri, et contracti venae sectio, hyrudinum applicatio; balnea tepida; cataplasmata emol-

lientia pubis regioni apposita, et methodus antiphlogistica sunt usurpanda. Morbo adhuc perstante, extractum cicutae, vel hyoscyami; demulcentia; mucilaginosa etc. Si vero senes vel aetate provectos corripit remedia tonica et stimolantia, sed caute sunt adhibenda, nam si partes affectae sensiliores sint, remedia stimulantia nimis irritando inflammationem gravissimam excitant; aqua secunda calcis, et uva ursi utilissima erunt remedia, haec vero bis terve indies in pulvere adhibeatur, a parvis tantum dosibus, quales ventriculus facilius ferat; postea cinchona, cascarilla, ferri praeparationes, catechu, lignum campechense et potus frigidi, plurimum conducunt. Si a suppresso haemorrhoidum fluxu catarrhus vesicae originem ducit, haemorrhoides suppressae sunt revocandae. Diaeta tenuis sit et nutriens, evitatis liquoribus spirituosis, et nimio corporis exercitio.

Berends, Diss. de cystirrhoea mucosa etc. 4.° Francof. 1806.
Desault, Opere chirurgiche. 8. Vol. 6. Pavia 1803. Ved. Tom. VI. §. III. pag. 57. seq.
Parnham, Diss. de cystirrhoea. 8. Edinb. 1772.
Reil, Oper. cit. Vol. III. Part. II. Cap. XVIII. §. 242. seq.
Schoenburg, Diss. de catarrho vesicae. Dusib. 1794.

CAP. VIII. DIABETES.

CHARACTER.

Desiderium cibi inexplebile; sitis perpetua, urinae nimia profusio vel aucta gustui nunc subdulcis, nunc protinus insipida, viribus vitae deficientibus; pulsu frequenti, calore parum aucto, siti, cute arida, et macie comitantibus.

Duo a medicis recensentur diabetes species idiopathica una sive *mellites*, cum urina odoris, coloris et saporis mellei; symptomatica altera sive diabetes *insipidus* cum urina limpida non dulci.

SYMPTOMATA.

Hujus morbi initia adeo obscura sunt, ut aegrum corripiat, antequam observetur. Nonnunquam praecedunt bulimia, pyrosis, ructus acidi et faucium ardor, sitis ingens et vehemens cum urinae profluvio, praecipue nocte infestior; dolent lumbi cum summa corporis lassitudine; morbo aucto, sitis urget, et urinae profluvium intenditur;

cum sensu, quasi guttae aquae frigidae vesicam illabantur; urina experimentis tentata, colorem ac saporem mellis in aqua soluti refert, modo est clara et pellucida, modo subflava, vel colorem ex subviride flavescentem exhibet, ingestorum pondus aequans vel superans. Os saliva nonnunquam spumosa ac viscida obtegitur, quae linguam subdulci aut subacido sapore afficit. Gingivae fiunt molles atque tumidae, magis rubent, quasi salivatione mercuriali affectae; alitus oris mucidus est; capitis dolor cum frequenti vertigine; molestiae ac ponderis sensus circa lumborum regionem; cutis magis arida et squamosa evadit, alvus pertinaciter est adstricta; appetitus magnus. Febris nulla est, pulsus enim acquo tardiores; rubent genae; oculi nitorem perdunt, subflavi et squallidi apparent. Morbo ingravescente, totum corpus tabescit macie confectum; languent vires; animi depressio accedit, ita ut aeger nec moveatur, nec quicquam agat; sitis adest immodica, non extinguenda, cum sensu caloris molesto ac vix tolerando praecipue in intestinis; mingendi cupiditas frequentior evadit, facultate urinam retinendi paulatim amissa,

quae guttatim ex urethra manat; arteriae incitatius moventur; palmae et pedum plantae urente calore afficiuntur; extremorum tumor inferiorum, praecipue vespere, aurora autem appetente rursus evanescit; nonnunquam penis glans tumida et sebacea quadam vel saccharina substantia obtegitur; abdominis hydropis apparent indicia, quae gradatim decedunt et subinde redeunt; tandem subacidus e toto corpore profluit sudor, et aeger tabe confectus, miserrime mortem occumbit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, potus aquosi, praesertim tepidi abusus; diuretica nimis libere adsumpta; vina acidula; aquae minerales; liquorum spirituosorum nimia ingurgitatio; frigus corpori admotum; stases abdominales; arthritis anomala; haereditaria dispositio; dentitio difficilis in infantibus; irritatio renibus illata, uti inflammatio, abscessus, calculi etc.; affectus animi contristantes; evacuationes immodicae; venus immodica; morbi praegressi, et omnes quae systema infirmant. Causa hujus mor-

bi proxima a totius corporis organorum, morbosa actione, praecipue ex nimia arteriolarum renum, quae urinam secernunt, atonia, vel earundem abnormi motu pendere videtur.

DIAGNOSIS.

Copiosa urinae profusio, et sitis ingens diabeten ab omni alio morbo distinguunt. Diabetes mellites a symptomatico distingui potest, melleo urinae odore et sapore, saccharo in lotio existente, et summa virium debilitate.

PROGNOSIS.

Si nimia urinae quantitas decrescit, et est minus dulcis; si sitis immodica, ac nimium cibi desiderium minus urgent; si cutis asperitas sponte cedit, et haec mollis et humida evadit; si oris pallor et oculorum squallor evanescunt, et vires magis augentur, fausta erit prognosis. Res est in praecipiti ubi febris hectica apparet, ubi desiderium cibi penitus cessat et aeger alimenta fastidit; ubi continua vigilia, tabes et nervorum di-

stensiones urgent. Senes magis periclitantur quam juvenes. Diabetes mellites periculosior est quam symptomaticus.

Cadaverum diabeticorum autopsia renes molles, spongiosos, et ulceribus exesos; tumores mesenterii duros, et glandulas meseraicas tumidas, vel calculos in pancreate demonstrat.

CURA.

Initio morbi, si diathesis hypersthenica adest, venae sectio etiam repetita si opus erit; digitalis purpurea; zincum vitriolatum; nicotiana; methodus antiphlogistica. Materiae saccharinae formationi obviam itur, diaeta ex cibo animali pingui praecipue ex carne porcina vel ex piscibus parata, vegetabilibus ex toto evitatis; emetica; diaphoretica praecipue pulvis ipecacuanhae compositus; sales alkalini; carbonas ammoniae; acidum nitricum, tinctura cantharidum a guttis decem ad viginti bis in die exhibita; hydrargiri praeparationes. Laudant recentiores Medici idro - solphurum ammoniae, sive ammoniam epatizatam; tres guttae hujus remedii, ter quaterque in die

dari possunt, ut haec dosis sensim ad duodecim vel quatuordecim guttas augeatur; sed in hoc administrando remedio summa cura est habenda, nam si nimis libere datur, pessimi et valde periculosi effectus sequuntur. Si alvus pertinaciter sit adstricta, infusum sennae, oleum ricini, tamarindi, rheum, aloe et similia. Si diathesis hyposthenicae signa urgent, nimiae debilitati occurritur tonicis, cinchona, opio, moscho, spiritu aetheris sulphurici, camphora, cortice aurantiorum, amaris, balneo frigido etc. Astringentia ut aqua calcis, alumen, gummi kino, catechu, corporis inunctio ex axungia, plurimum juvant; indusium laneum induere convenit.

Annal. de Chym. 8.° Paris Vol. XXX., et Vol. XXXII.
Araeteus, Oper. sup. cit. Lib. II. Cap. II.
Currie, Diss. de diabete. 8.° Edinb. 1798.
Darwin, Zoonomia. 8.° Vol. 6. Milano 1815. Ved. Vol. II. Sez. XXIX. Cap. IV.
Frank, Epitom. sup. cit. Vol. V. P. I. Ord. I. §. 476-483.
Hulme, Diss. de diabete mellito. 8.° Edinb. 1798.
Reil, Oper. sup. cit. Vol. III. Part. II. Cap. XIV. §. 192-205.
Rollo, Traité du diabete sucrè. Trad. par Alyon etc. 8.° Paris an. VI.

Finis Voluminis Primi.

INDEX MORBORUM.

MEDICINAE PRAXEOS

COMPENDIUM

AD MENTEM

CLARISSIMI E. G. CLARKE

AUCTORE

A. SPEDALIERI

PHYSIOLOGIAE ET ANATOMES COMPARATAE

IN REGIO CAESAREO ARCHIGYMNASIO TICINENSI

PROFESSORE.

Vol. II.

*

TICINI.

APUD HAEREDES PETRI GALEATII.

1816.

NEUROSES.

CLASSIS II. NEUROSES.

CHARACTER.

Sensus et motus laesi sine pyrexia idiopathica, et sine morbo locali.

ORDO I. COMATA.

CHARACTER.

Motus voluntarii imminuti cum sopore sive sensuum feriatione.

CAP. I. APOPLEXIA.

CHARACTER.

Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minusve profundo, stertore, faciei rubore et tumore, superstite motu cordis et arteriarum.

SYMPTOMATA.

Hujus morbi historiam describere, difficile est opus, modo enim repente invadit,

modo longa habet initia. Symptomata, quae in dispositis sunt prodroma impeditam esse encephali efficaciam indicant. Gravedo, hebetudo, torpor et subinde vertigines; capitis dolor, nunc subito obortus, nunc tarde et paulatim obrepens; somnolentia morbo haud raro praegreditur, et interdum menses, imo annos, ante paroxysmum perstat; sanguis e naribus saepe erumpit, nausea et vomitu haud raro adstantibus; oculorum caligo; scintillae ante oculos; aurium tinnitus; somnus turbatus; somnia orribilia; incubus; tremor; lassitudinis et stuporis sensus; lingua tremula et impedita; lectio minus expressa; oblivio rerum vix peractarum; impotentia quaedam verba rite pronuntiandi; balbuties; motus tremuli labiorum, unde angulus oris alteruter distrahitur; aeger quando e somno expergiscitur, alterius lateris torporem nonnunquam sentit; vultus plenitudo et faciei rubor, palpebrarum oedema et resolutio. Postquam haec signa per aliquod tempus plus minusve gravia persliterint, ipse morbi insultus quasi fulmine percussum hominem prosternit, cum improvisa internorum et externorum sensuum ac motuum voluntati obedientium

abolitione. Vultus est vel inflatus, vel rubicundus; palpebrae tumidae, vasa arteriosa et venosa nimis turgida; oculi prominentes, truces, fixi et quasi vitrei apparent; pupilla immobilis est; respiratio plerumque difficilis, frequens, abnormis, et saepe roncho concitatur, aliquando vero lenta et rara, aut singultibus impedita; deglutiendi vis vel imminuta vel penitus deleta, et lingua paralysi corripitur; urina et foeces modo involuntarie excernuntur, modo prorsus supprimuntur; sudor alias tenuis alias viscidus ac gelidus prorumpit; convulsiones vel generales et validae, vel quasdam corporis partes tantum afficiunt; nonnunquam alterum corporis latus convulsionibus laborat, alterum simul paralysi afficitur. Accessus vel brevis est et parvo temporis spatio aegrum jugulat, vel longior et per aliquot dies perdurat.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt, quaenam corporis conditiones, vel ex fabrica congenita, vel ex vitiis praegrediente vita collectis. Inter corporis conditiones recenseri possunt,

aetas senilis; caput magnum; collum breve; obesitas; nimia corporis plenitudo et ebrietas frequens; evacuationes solitae suppressae; studium nimium; rachitis. Causae occasionales praecipue esse videntur, exercitatio corporis vehemens; tussis et sternutatio; animi affectiones; calor externus; balneum calidum; ingestorum copia; helluatio; ebrietas; cerebri commotio; ulcera exiccata; vermes; arthritis anomala; quivis corporis situs, qui sanguinis circulationi per arterias in caput favet, et ejus reditum per venas impedit; ligaturae circa collum, cervix subito, vel diu rotata; vitia organica thoracis, vel cordis vasorumque majorum morbi; vis externa; inspiratio plena et longa; nimia vasorum cerebri distentio, vel eorum laceratio; catarrhus diuturnus; hepatis aliorumque viscerum abdominalium vitia; tempestates pluviosae, vel earum subita mutatio.

DIAGNOSIS.

A somno apoplexia distingui potest, sensus omnis motusque privatione, respiratione difficili et stertorosa, facie multum tu-

mida et rubra, aliisque signis, quae improvisum hujus morbi accessum comitari solent. A caro et comate distinguitur, quia carotici et comatosi alte vociferati, puncti, aut vehementer concussi excitantur. Ab epilepsia, per motus spasmodicos; a catalepsi, quia membra catalépticorum suspensa detinentur, apoplecticorum vero laxa et debilia proprio pondere deprimuntur. A syncope facile discernitur apoplexia, nam ibi respiratio et pulsus una cum sensu ac motu deficiunt.

Duas apoplexiae species recentiores distinguunt hypersthenicam unam, et alteram hyposthenicam. Tertiam nonnulli adjungere satagunt, ex consensu cum aliis corporis partibus ortam, quae apoplexia consensualis dicitur sive nervosa. Hypersthenicae apoplexiae signa sunt, temperamentum plethoricum et nimis irritabile; qui virilem agunt aetatem; qui vitam ducunt laute a curis semotam et laboribus; qui sanguinis evacuationibus diu consuetis deficiunt; pulsus in iis constanter pleni, fortes et duri sunt, facies turgida et rubra, ut vasa quasi cera injecta videantur; oculi protuberantes; venae turgidae; frequens narium haemorrhagia; sen-

suum hallucinatio; scintillae ante oculos, praesertim post pastum; aures intus sonantes, vertigines et somnolentia. Morbus hic saepe homines corripit, qui ad summum sanitatis gradum pervenisse videntur; actiones vitales nimis auctae et vigentes hanc aliquando efficiunt apoplexiam, praesertim si frigidus aer, coeli serenitas et siccitas diathesim hypersthenicam excitant. Apoplexiam hyposthenicam comitantur, habitus corporis cachecticus, debilis, aetas senilis, subjectum vitam degens sedentariam, et hyposthenicis morbis jamdiu laxatum; faciei pallor, pulsus parvi, debiles exiles et quasi evanescentes, frigoris sensus molestus; virium jactura; ulcerum exsiccatio; oculorum caligo, et alia signa quae encephali actionem et vim prostratas indicant. Cave ne a solo faciei rubore, pallore ac pulsuum diversitate apoplexiae differentiam repetere velis, haec enim signa nonnunquam fallacissima et infida esse solent, ac hujus morbi diagnosim difficilem reddunt. Denique apoplexia consensualis, a mirabili illa encephali cum cute, ac pectoris abdominisque visceribus, et a laesa nervorum actione originem ducit. Hinc apoplexia nervosa, a ga-

strica saburra, a vermibus, a cordis vitiis, ab haepatis aliorumque viscerum abdominalium vitiis orta. Nec rara sunt apoplexiae exempla ex forti animi pathemate, ex hysteria et hypochondriasi, ex calculis biliariis aut urinariis excitatae.

PROGNOSIS.

Prognosis fausta vel infausta pro accessionis gravitate, symptomatum magnitudine, causarum indole et aegri aetate dirigenda erit. Haemorrhoidum fluxus, menstrua iterum fluentia, sanguis e naribus profusus, urina copiosa et sedimentum lateritium deponens, sudores universi per totum corpus, vomitus denique et diarrhoea, si a sordibus gastricis ortum duceret apoplexia, fausta sunt signa: respiratio valida cum profundo stertore et spuma circa os copiosa, sudor tenuis guttatim stillans et frigidus in facie et collo, nervorum distentiones, urinae et alvi fluxus voluntatis injussu, vultus adductio ita ut nota videatur imago, infausta sunt symptomata. Senes, cachectici aut ex morbo confecti plus periclitantur quam juvenes, sanguinei, robusti, ac ante insul-

tum bene valentes. In apoplexia quae ictui, vulneri vel capitis contusioni succedit grave signum est humeri alterius depressio, quae effusionem in cerebro indicat. Febris ingruens haud semper emolumentum affert, paralysim stuporem et fatuitatem post se relinquit.

Cadaverum sectiones quamplurima vitia vel in capite, vel extra caput ostendunt. Quae ad caput pertinent, sunt, ossa cranii fracta vel intus depressa, vel eorum interna facies turgidis vasis vel corpusculis duris referta: meninges modo sanguine turgidae vel puncta ossificata et colluviem serosam ostendentes praecipue in processu falciformi. Cerebri substantia mollis et fere pultacea facta, abscessus, steatomata, scirrhos et tumores preternaturales habens; cerebri ventriculi vel cruoris effusi vel seri copiam continentes, adsunt etiam exempla vasorum cerebri aere turgentium. Vitia quae extra caput inventa sunt ad cordis et vasorum majorum vitia referri possunt, nempe, cor magnum, valvularum cordis ossificatio, polypi et aneurysmata aortae, tumores qui venas jugulares comprimunt, mala conformatio et asimetria vasorum

sanguinem vehentium congenita aut haereditaria; haepar enorme tumidumque; splen marcidum et atrum.

CURA.

Si adsint signa diathesis hypersthenicae methodus antiphlogistica est adhibenda. Qui ad apoplexiam sunt dispositi, et capite magno colloque brevi sunt instructi nec non capitis dolore et vertigine laborant, corporis animique quiete, diaeta strictiori, pediluviis tepidis sunt succurrendi ne in apoplexiam incidant. Morbo praesente, venae sectio caute est adhibenda, nimis enim libere plerumque nocet; cucurbitulae cruentae occipiti admotae maxime conducunt; hyrudines ad tempora, retro aures, ad occiput ponendae; si suppressae epistaxi supervіat apoplexia, hyrudines ad utrumque nasi foramen; an arteriotomia? Capitis fomenta; digitalis purpurea; cathartica acria ex colocynthide, aloe, extracto jalapii et simillimis parata; scillae praeparationes; regimen antiphlogisticum; capitis positura erecta. Si diathesis hyposthenica sit, et morbus debiles et cacheticos corripiat, methodus

stimulans externe et interne est usurpanda; enemata acria; vesicatoria capiti, spinae dorsi et extremis; cataplasmata sinapeos; frictiones crurum aromaticorum ope, pediluvia tepida; infusa serpentariae, valerianae silvestris etc., interne: ad reditum ejus praecavendum, causae excitantes sunt evitandae et diaeta minus foret nutriens; a liquoribus spirituosis abstinentia; exercitatio modica; medicamenta leniter alvum subducentia; setacea et fontanellae prope caput maxime conducunt: an errhina? An opium et stimulantia?

CAP. II. COMA VIGIL.

CHARACTER.

Impossibilitas tam recte vigilandi, quam bene dormiendi; sopor levis, a quo aegri facile excitantur; continuum dormiendi desiderium; sensus hebescunt et aliquandiu delirium leve; oculi semper fere clausi; imagines variae menti obversantur, insomniis similes: hoc statu morbus per plures haebdomadas protrahitur, attamen aeger nullo

fruitur somno; si per aliquot minuta in verum somnum incidit, statim cum subsultu expergiscitur; inquietudo summa; pulsus parvus, lentus valdeque debilis; omnium aversatio; potus praefertur, et tamen raro sitiunt.

CAUSAE.

Gravis et continuus labor, tam mentis quam corporis; vermes; infarctus bilis in systemate gastrico; animi pathemata; morsus scolopendriae et serpentis basilisci.

PROGNOSIS.

Hic morbus semper periculosus est, et eo periculosior quo plura gravia symptomata eum comitantur; si in phrenesim mutatur, malum, et semper cum magno aegri discrimine; si, ubi phrenesis adest, superveniunt convulsiones, tunc actum est de aegroto.

CURA.

Si gravis et continuus labor fuerit comatis vigilis causa, nutrientia, optima ju-

scula carnea pro potu et alimento; enemata de lacte et saccharo pluries de die repetita: si a bilis infarctu oritur, emetica, praecipue ex tartaro stibiato et ipecacuanha; cathartica, ut senna, tamarindi, sales medii. Diarrhoea artificialis, plerumque morbum solvit. Coma verminosum fugatur anthelminticis, et remediis quae vermes enecant. Si coma a morsu animalium venenato, sponte sua cedit vel abit in abscessum ad partem morsu correptam. Si animi pathemata sunt causae, aether; moschus; opium; ammoniaca.

CAP. III. CATAPHORA, SIVE COMA SOMNOLENTUM.

SYMPTOMATA.

Somnus profundus absque pyrexia et delirio; aeger semper dormit; si expergiscitur oculos aperit, quaestiones audit, respondet, se movet, mox in somnum delabitur; sopor gravis; oculi accurate clausi; vultus pallidus; pulsus tardus et valde debilis; mem-

bra flaccida; nulla molesta sensatio in respiratione; nullus motus; si fortis irritatio applicetur, expergiscitur, aliquando tamen oculos non aperit; palpebrae valde sunt graves; deglutitio impedita; acriter aegri excitati oblata deglutiunt.

CAUSAE.

Plethora cerebri; haemorrhagiae abituales suppressae; periodicae evacuationes cohibitae; exanthemata retropulsa; obesitas, polysarcia; liquorum et spirituum nimia ingurgitatio; cerebri collapsus; cachexia.

CURA.

Si adest diathesis hypersthenica, venae sectio; purgantia; enemata emollientia; diuretica, rubefacientia; vesicatoria prodesse possunt; an digitalis? Si debilitatis signa et morbo aucto, camphora; ammonia succinata; moschus; aether. Si causa est polysarcia, diaeta vegetabilis; exercitatio; motus.

CAP. IV. CARUS.

SYMPTOMATA.

Somnus profundus a quo aegri excitari non possunt; pyrexia; aliquando excitantur, sed nulla sensus signa praebent; loqui non possunt et iterum in gravissimum somnum incidunt. Vultus ruber; oculi subclausi; respiratio parum mutata, magis libera quam in apoplexia; saepius in apoplexiam degenerat.

DIAGNOSIS.

Differt hic morbus ab apoplexia graviori in eo, quod non adest paralysis nullave respirationis difficultas. Difficile ab apoplexia levi potest discerni, nam eadem praebent symptomata.

PROGNOSIS.

Hujus morbi prognosis minus infausta, quam in graviori apoplexia.

CURA.

Eadem fere ac in apoplexia levi.

CAP. V. LETHARGUS.

SYMPTOMATA.

Mentis oblivio; perfecta corporis quies cum sopore et delirio oblivioso; debilitas summa; capitis totiusque corporis gravedo; vertigines leves; respirandi difficultas mitis; gravitatis sensus circa ventriculi regionem, vel ad scrobiculum cordis. Morbi initio, aegri magno desiderio dormiendi vexantur, et post duos vel tres dies, raro quatuor, levissimum frigus experiuntur; febris continua, sed non fortis; pulsus mollis, debilis, et aliquando intermittens; oculorum inflatio et singularis faciei mutatio; cutis pallida; foetida et arida, cum levissimo ictero; aurium tinnitus; dolor ad posteriorem partem colli; urinae, nunc suppressae et nunc inscio aegro effluentes, turbidae vel nigri coloris; manuum tre-

mor ; sudor copiosus ; spasmus maxillae inferioris ; aliquarum partium paralysis ; pulsus parvi et tremuli ; pectoris infarctus ; tandem mors septimo vel octavo die scenam claudit.

CAUSAE.

Aeris temperatura humida ; alimenta prava, vigiliae diuturnae ; moeror ; vita sedentaria ; immodici corporis labores animique contentio ; evacuationes immodicae.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt, sopor non valde profundus, facies parum mutata ; mentis integritas parum amissa ; respiratio non multum anxia vel difficilis ; rarae febris accessiones ; morbus quinto die parum auctus ; alvi evacuationes cum aegri levamine ; urinae copiosae cum copioso sedimento ; sudores calidi et profusi ; pulsus mollior ; anacatharsis copiosa cum magna muci secretione e naribus ; glandularum parotidum eruptio aliave critica evacuatio. Infausta sunt symptomata, summa virium prostratio ; quinto

vel sexto die signa graviora persistentia; alvi evacuationes nimiae cum meteorismo; urina clara et limpida; respiratio difficilis et anxia; sudores frigidi universi, vel partiales; tremor cum motu convulsivo. Si paralysis signa, mors tunc certa.

CURA.

Si adsunt diathesis hypersthenicae signa, venae sectio cito est adhibenda; hirudines ad tempora; arteriotomia; venae jugularis incisio; cucurbitulae cruentae ad partem posteriorem capitis; cathartica repetita; refrigerantia; enemata emollientia; antimonium tartarisatum. Ubi virium prostratio manifesta, et diathesis hyposthenicae signa, camphora; moschus; aether; ammonia succinata; vesicatoria larga; emplastra sinapeos cum aceto. Si sopor, sub lethargi forma puerperas invadit, post nimiam sanguinis quantitatem amissam vel retro vel ante partum, et si adest pulsus debilis aut summa virium prostratio, cinchona; vinum generosum; diaeta animalis. Ad paroxysmi reditum impediendum, diaeta moderata; exercitatio corporis, animique quies.

CORTUM, Diss. de apoplexia nervosa. Habet. in FRANK delect. opuscul. Vol. VI.
FODERÈ, De apoplexia. Vid. BRERA, Giornale Tom. I. p. 291. seq.
KIRKLAND, Comment. de apoplecticis etc. 8.° Lond. 1792.
LAZERME, De morbis capitis. 8.° Venet. 1750.
LANCISIUS, De subitaneis mortibus. 4.° Romae 1707.
MORGAGNI, Oper. sup. cit. Tom. I. Epist. V.
PENZOLD, Diss. de apoplexia ex inanitione vasorum cerebri. Goetting. 1783.
SCHROEDER, Diss. de apoplexia ex hypochondriorum vitiis. 8.° Goetting. 1776.
SPRENGEL, Inst. sup. cit. T. IV. Sect. II. Cap. I. §. 484. seq.
WEPHERUS, De affectibus capitis. 4.° Tiguri 1745.
ZULIANI, De apoplexia praesertim nervea. 8.° Brixiae 1789.

CAP. VI. PARALYSIS.

CHARACTER.

Morbosa motus abolitio, aliquando et sensus aut utriusque in variis corporis partibus sine laesione externa visibili, et sine morbo locali.

SYMPTOMATA.

Paralysis, quam nullus morbus diversus antea praecessit, paulatim plerumque ado-

ritur: Vertigine, capitis gravitate, mente hebete et obliviosa, parte passura quasi pondere pressa, aegrius mota, veluti refrigerata, tremente, quandoque dolente, denique praeter solitum debili, (signis praeuntibus), accedit. Partis affectae stupor, pallor et torpor; motus vel sensus vel uterque plus minusve amissus, vel plurimum imminutus; quidam formicationis sensus aegros artus afficit, qui motibus levioribus interdum convelluntur. Partes paralyticae molles, atrophicae vel oedematosae sunt; frigoris sensus veluti aquae frigidae guttatim instillatae, vel secundum nervorum cursum depluentis; pulsus rari et molles, aliquando frequentes et inaequales; cutis plerumque arida et pallens; vires digestionis labescunt et diuturnitatem morbi excipiens marcor indicat; mentis hebetudo et oblivio insueta; partes paraliticae diu affectae fere emaciantur, interdum incurvantur vel breviores fiunt ex impedita musculorum actione. Nonnulli a gradu atque a mali sede paralysin diviserunt. Motus sensusque imminutionem paraesin, seu semiparalysin dixerunt. Hemiplegia, cum in alterutro corporis latere motus sensusque sunt aboliti. Paralysim om-

nium partium infra caput positarum, paraplegiam appellant.

CAUSAE.

Causae paralysis vix differunt ab illis quae apoplexiam producunt. Cerebri compressio ab effusionibus sanguineis, serosis, vel a tumoribus; capitis vulnera vel concussio; medullae spinalis vitia, uti tumores ligamenti denticulati, vertebrarum caries, et serosa colluvies inter meninges; vis nervea imminuta; unitas nervi soluta; venena in corpus accepta; tumores pulmonum purulenti; dysenteria; hepatis splenisque vitia; haemorrhoidum suppressio; lues venerea; animi pathemata praecipue terror; diathesis scorbutica; vermes; colica pictonum; apoplexia et aetas provecta.

DIAGNOSIS.

Ab apoplexia, aliisque morbis pulsu et symptomatibus facile dignoscetur.

PROGNOSIS.

Paralysis morbum sistit periculi plenum et difficile sanatu, ut plurimum enim ab

apoplexia oritur et in apoplexiam rursum decidit. Ceterum hujus morbi prognosis differt pro causarum, partis affectae et durationis varietate. Partis laborantis calor, dolor levis punctorius seu formicationis sensus, febris moderata, sudor universus e tota cute promanans, diarrhoea, haemorrhoidum fluxus consueti restitutio, erysipelas sensibile, fausta sunt symptomata. Provectis vel morbis confectis paralysis accidens, difficillime curationem recipit. A sectione vel luxatione valida, vel ab ictu de repente orta, insanabilis. Sudor qui non subito sublevet, in hemiplegia lateris sani convulsiones, partis laborantis frigus, vel sensus penitus deletus, infausta sunt signa. Levior denique aut gravior pro partis affectae varietate; in artubus inferioribus melior, in superioribus pejor, in visceribus aut thoracis musculis, ob magnum harum partium ad vitam momentum, pessimus morbus est. Si linguae, oculorum, pharingis, vultusque musculorum motus deperditus, mala sunt omina. Paralysis ab hysteria, hypochondriasi aut a scorbuto pendens facile nonnunquam curatur.

CURA.

Si adest diathesis hypersthenica, venae sectio, sed caute est adhibenda, nam hujus naturae paralysis rarissima est, attamen aliquando encephali, ejusque membranarum vel medullae spinalis inflammationem comitatur; cucurbitulae cruentae; hyrudines retro aures et alia remedia apoplexiae hypersthenicae aptata sunt utenda. Si hemiplegia solummodo manet, et diathesis hyposthenicae signa adsunt, utenda sunt stimulantia tam interna, quam externa: interna sunt sinapi; raphanus rusticanus; arnica montana; ammonia praeparata; castoreum; moschus; tinctura cantharidum; aether; hydrargyrus, vini generosi parva portio; an aether phosphoricus? Diaeta nutriens for e et stimulans: externa vero, epispastica, rubefacientia, e. gr. tinctura cantharidis, linimentum ammoniae, aether etc., frictio, cucurbitulae siccae universae spinae admotae, urticatio, electricitas et balneum frigidum, fonticula vel setacea; balnea tepida tum simplicia tum sulphurea. Si paralysis cum febri intermittente conjungitur, cinchona,

opium et alia ad arcendas febres aptata: In extremitatum inferiorum paralysi post convulsiones, extractum ex radice rhus radicantis, vel rhus toxicodendri paratum, ad gr. duo usque ad sex, quater de die est exhibendum. Coeterum exercitatio mediocris et constans, corporis animique quies, aer purus, siccus et recta causarum ablatio plurimum juvant.

Aurivillius, Diss. de paralysi. Upsal. 1765.
Bellini, Oper. omnia. 4.° Vol. 2. Venet. 1747. Vid. Tom. I. pag. 330.
Cramer, Diss. de paralysi. 8.° Goetting. 1760.
Caldani, Saggi dell' accademia di Padova. Tomo I. 1786.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. IV. Sect. I. C. XII. XIII. XIV.
Mackensie, Diss. de paralysi. 8. Edinb. 1778.
Morgagni, De sed. et caus. morb. sup. cit. Tom. I. Epist. II. pag. 164. seq.
Nicolai, Diss. de paralysi. 4. Altd. 1645.
Nieper, De scorbuticorum paralysi. Halae 1762.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 565-569.
Wan-Swieten, Comm. sup. cit. Tom. III. §. 1057.

ORD. II. ADYNAMIAE.

CHARACTER.

Motus involuntarii, sive vitales, sive naturales, nempe respirationis, cordis actio-

nis motusque muscularis, imminuti aut quiescentes.

CAP. I. SYNCOPE.

CHARACTER.

Motus cordis et respirationis imminutus, vel aliquandiu quiescens, sine causa manifesta saepe rediens, cum cordis palpitatione vehementi in intervallis.

SYMPTOMATA.

Morbus hic vel repente invadit, vel lente ingreditur et signis prodromis comitatur. Praecedunt plerumque languor, tremor et lassitudo musculorum, capitis gravitas, praecordiorum anxietas, vertigines, aures intus sonantes, oculorum caligo, macularum oculis circumfluentium sensus; paulo post contremiscit aeger, vultus pallore obtegitur, extrema frigent et frigido manant sudore, praecipue collum et pectus; pulsuum ictus imminuti, inordinati ac vix percipiendi; respiratio debilis et tarda; alvus

inscio aegro secedit; vomitus, vel vomendi conatus; oculi suffunduntur vel livido circumdantur circulo; tandem aeger sui conscius non est ac sensum motumque amittit. Hoc in statu per aliquod temporis spatium remanet, et dum ad se redit, flatus emittit, calor corporis restituitur, pupilla valide contrahitur, cor palpitat, membra convelluntur, ac summae debilitatis sensum accusat, nonnunquam vomitus vel diarrhoea nimis foetida syncopem subsequuntur.

Varias syncopis species distinguunt medici, quae a diverso hujus morbi gradu pendent. Subitanea et brevis virium imminutio, superstite motu cordis et arteriarum et cognoscendi facultate, lypothimia dicitur, vel animi deliquium. Virium omnium vitalium et animalium imminutionem sive privationem ut nulla a morte sit differentia, asphyxiam seu melius mortem apparentem appellant.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, subita et graviora animi pathemata; fortiores partium dolores; febres hyposthenicae, uti typhus gravior et febres intermittentes, syncopa-

les dictae; balnea nimis calida; transitus subitus e loco temperato in calidum, aut e calido in frigidum; venena ingesta; exanthemata; primarum viarum sordes; vermes; odores acuti et fortes; venae sectio; nimia sanguinis copia; haemorrhagiae vel profluvia immodica; subita virium prostratio et inanitio; cordis et vasorum majorum vitia, uti cordis et pericardii vulnera, inflammatio, suppuratio, ulcus, cordis volumen auctum, valvularum ossificatio, ventriculorum cordis, auricularum et aortae aneurysmata, hydrops pericardii aut illius cum corde concretio etc., colluvies serosa in cerebri ventriculis; hysterica ac hypochondriaca mala. Causa proxima esse videtur motus imminutus, vel cordis et arteriarum actio quiescens.

DIAGNOSIS.

Syncope differt ab apoplexia, in hac enim pulsus, respiratio et faciei color servantur, ac aliquando augentur; contra vero in syncope deficiunt. Ab epilepsia distinguitur convulsionum, oris spumae et motuum epilepticorum absentia.

PROGNOSIS.

Diversa secundum causarum differentiam; animi deliquium frequens, sine causa externa, subita virium inanitio, haemorhagiae nimis profusae, convulsiones syncopi supervenientes, infausta sunt signa. Quo leviores causae animi deliquia excitantes, eo minus periculum.

CURA.

In paroxysmo ad vim vitalem excitandam cura est dirigenda. Capite aliquantum elevato, in aere puriori et frigidulo ac situ horizontali teneatur aeger, oportet; facies aqua frigida cum aceto juncta aspergatur; juvant interdum liquores odoriferi vel volatilia naribus admota, uti acetum concentratum, spiritus lavandulae, aqua melissae composita, alcali volatile. Interne vinum generosum, aqua cinnamomi, aetheris sulphurici vel alcali volatilis guttae quaedam aquae melissae mixtae, sunt utenda. Si adest diathesis hypersthenica, et syncope pneumoniam vel aliquam viscerum inflam-

mationem sequitur, venae sectio plurimum prodest. Si animi deliquium sit febris perniciosae symptoma, cinchona, vinum, serpentaria virginiana, camphora et alia. Extra paroxysmum stimulantia lenia, tonica, et remedia quae cor et sanguinis circulationem excitant. Caeterum in cura syncopis causarum semper habenda est ratio, nam si ab causa manifesta oritur, remedia ei idonea sunt administranda.

Albertini, De adfectionibus cordis, 4.° Venet. 1618.
Berger, Diss. de deliquiis animi. 4.° Witeb. 1689.
Burserius, Oper. sup. cit. Tom. IV. Cap. VII. §. 215. seq.
Michaelis, De syncope. Lipsiae 1636.
Morgagni, De sedibus et causis morborum sup. cit. epist. XXIV.
Senac, Traite du coeur sup. cit. lib. VI. cap. 10.
Testa, Malattie del cuore sup. cit. Tom. III.
Vogel. Aug., Oper. sup. cit. Tom. II. §. 603.-607.

CAP. II. ASPHYXIA SEU MORS APPARENS.

CHARACTER.

Motuum vitalium et naturalium suspensio, ut nulla pateat a morte differentia su-

perstite tamen excitabilitate, sive vitae potentia.

SYMPTOMATA.

Difficile profecto est, certos limites inter asphyxiam et mortem ipsam statuere. Diutius durare potest in homine haec vitae suspensio, attamen si cordis arteriarumque motus deficit, si respiratio cessat, si nullus adest sensus, si sphincteres relaxantur, si frigent omnes corporis partes et membra rigent vel relaxantur, si oculi vitrei evadunt, si secretiones et omnes excretiones cessant, si e vena secta sanguis non apparet, et si putredinis certa signa videntur; dubium de morte haud remanet. Cave tamen ne imagine mortis deceptus unico tantum signo vel simulatae asphyxiae fidem praebeas, sunt enim qui respirationem cohibendo asphyxiam exactissime fingunt.

CAUSAE.

Innumerae fere sunt causae ex quibus variae mortis apparentis species oriri possunt. Sideratio, venena, animi pathemata violentiora, suffocatio submersorum vel la-

queo suspensorum; fumi metallici, mephitis, musti et cerevisiae fermentantis exhalationes, carbonum vapores, corpora peregrina in tracheam delapsa, passio hysterica, subita in cordis cavis aeris evolutio, corpora extranea in faucibus haerentia, vomicae pulmonaris ruptura, inanitio ex defectu ciborum, subitae et profusae sanguinis evacuationes.

CURA.

Asphyxiae cura a diversis causis vel ex morbo principali est repetenda. Si asphyxia ab intercepta respiratione oritur, uti in submersis, strangulatis vel laqueo suspensis ac suffocatis accidit, respiratio et cordis actio sunt excitandae; juvant emetica, aeris in pulmones inflatio, enemata injecta, frictiones, stimulantia, et electricitas. Venae sectio plerumque nocet, sanguinis enim detractio vires infringit, et cordis actionem minuit. Attamen in strangulatis, si subjectum robustum et plethoricum sit, si facies nimis turgida vel livida venae sectio, seu melius venae jugularis incisio aliquando est peragenda; emetica nun-

quam sunt fere adhibenda, nisi ventriculi vel primarum viarum sordis signa adsint, vel venena ingesta asphyxiam induxerint. Sed praecipuum in asphyxia remedium est, circulationis vim et respirationis functionem restituere. Asphyxus ex aqua extractus vel laqueo solutus, in loco nec nimis calido nec frigido deferatur; demtis vestimentis et capite paulum elevato, corpus dextro lateri innixum est leniter abstergendum, deinde tentanda est respirationis restitutio. Aeris inflatio fieri potest vel follis communis auxilio, vel folle arte constructo. Immisso aere thorax paulatim a parte inferiore comprimitur, ut aër e plenis pulmonibus expellatur; sic vicissim nunc aerem immittendo nunc expellendo continuare oportet, donec cordis motus excitatur, et respiratio restituitur (1). Pulmonum inflatione ter vel

(1) Ad aerem inflandum in asphycticis medici Angli folle vel machina ab Huntero praeposita et a Colemanno aliisque constructa utuntur. Hanc apud nos clarissimus Configliachi physices Professor primus construxit, et quamplurima adjunxit, ut faciliori et magis idoneo sit usui; non solum enim ad aerem insuflandum, sed etiam ad experimenta pneumatica peragenda adhiberi potest. Vid. Brugnatelli Giornale di Fisic. Chimica e Stor. Naturale 1816.

quater peracta, corporis praecipue extremitatum frictiones sunt instituendae, primum manu tantum calida, vel oleo illinita, deinde panno laneo vel manu spiritu vini camphorato aut aethere madefacta. Calor interdum externe applicetur linteis vel pannis calidis extremitatibus, cordis scrobiculo vel cavitati axillari admotis; vini calidi vel aquae cinnamomi aut aquae melissae spirituosae, vel alcoolis parva dosis cum saccharo sunt in ventriculum immittenda, parvae syringae ope. Enemata tandem ex aceto, vino, aut alio liquore aromatico calido sunt injicienda. Quae auxilia per quinque vel sex horas sunt continuanda, sed summa cum celeritate sunt rapienda. Nonnulli sternutatoria in nares insufflare vel tabaci fumum per fistulam in alvum immittere solent, sed usus tabaci fumi non solum diaphragmatis et musculorum thoracis actionem retardat, sed etiam vi narcotica damnum inferre potest. Eadem methodo, sunt ad vitam revocanda, animalia ex aere depravato vel respirationi haud amplius idoneo enecta, in omnibus enim asphyxia a respirationis intercepta oritur.

CAP. III. ASPHYXIA RECENS-NATORUM.

SYMPTOMATA.

Infantes aliquando, dum in lucem prodeunt, nullum vitae signum praebent. Eorum facies modo rubra, livida et turgida est, modo pallida, aliquando vero caerulei coloris speciem refert; cutis laxa et frigida est, et nullum respirationis vel cordis motus adest signum, ita ut mortui videantur.

CAUSAE.

Plurimae fere sunt asphixiae recens natorum causae. Funiculus ombelicalis circa collum volutus, eumque constringens vel duplicatus, aut per os uteri compressus, antequam foetus in lucem proderit; valida capitis diu incuneati compressio; sub partu accelerato vel violento compressio; rudis instrumentorum vel inaequalis actio, quae capiti vim validam infert; lingua infantum relapsa, vel ob muci densitatem et lac coagulatum faucibus haerens, unde difficilis respiratio evadit; matris vel nutri-

cis sub somno compressio; utriusque tandem atrii cordis communio nondum clausa, ita ut sanguis venosus cum arterioso in aorta confundatur, et pulmonum actio interrupta remaneat.

CURA.

Diversimode se habet, secundum causas quae asphyxiam induxerint. Si infantis asphyxi facies rubra, livida et turgida est, unciae dimidium aut sanguinis uncia una ex funiculo ombelicali est emittenda, ligato prius funiculo supra locum rescissionis, ne lethalis haemorrhagia superveniat. Si funiculus ombelicalis circa collum sit obvolutus, solvendus illico est. Si lingua faucibus adhereat ob viscidam muci naturam vel lactis coagulati copiam, digito in ore immisso, mucus vel lac coagulatum cito sunt extrahenda. His omnibus rite peractis, respirationem promovere oportet, pulmones aere sunt inflandi cum folle arte constructo; aquae frigidae in faciem conspersio; guttulae paucae aquae melissae spirituosae, vel aquae cinnamomi linguae imponantur; fauces irritentur, columnam vertebralem ma-

nu spiritu vini camphorato madefactam fricare oportet; enemata cum pauxillo salis aut saponis sunt immittenda. Haec omnia sensim sensimque sunt facienda, ne nimia actio excitetur. Si respiratio restituitur, quod ex levi vultus rubore, pectoris anxietate et labiorum motu cognosci potest, abdomen linteis calidis est fricandum, vel calido indusio laneo totum infantis corpus est involvendum, donec respiratio et vires redierint. Iis nil valentibus, electricitatis efficaciam juvat tentare, methodo a Celeberr. Boëro descripta.

Barzellotti, Mem. per servire di avviso al popolo sulle morti apparenti. 8.° Parma 1808.

Bibl. Britann. 8.° Geneve. Vid. Vol. 59. pag. 347. seq.

Boer, Natur. Obstetr. sup. cit. pag. 74. seq.

Crausius, Diss. de restitutione in vitam suffocatorum laqueo vel in aqua. Jenae 1705.

Curry, Observations sur les morts apparentes. 8.° Geneve. 1800.

De Haen, Rat. med. sup. cit. Vol. IX. Sect. I. II.

Fine, De la submersion, ou recherches sur l' asphyxie des noyes etc. 8.° Paris 1800.

Fothergill, Of new inquiry into the suspension of vital action in cases of drowning and suffocation etc. 8.° Lond. 1795.

Goodwyn, Diss. de morbo morteque submersorum investigandis 8. Edinb. 1786.

Hallè, de natura et effectu mephitis cloacarum. 8. Paris 1785.

Klein, Diss. de metallorum irritamento ad mortem veram explorandam. 8. Mogunt. 1796.

Testa, Della morte apparente ec. 8. Firenze 1780.
Volta, Opuscoli scelti 4. Milano Vid. Tom. IV.
Woodford, De resuscitatione submersorum 8. Edinburgi 1794.

CAP. IV. SYNCOPE ANGINOSA SIVE ANGINA PECTORIS AUCTORUM.

CHARACTER.

Motus cordis imminutus et aliquando quiescens, cum dolore immani ad sternum et scapulas porrecto.

SYMPTOMATA.

Constrictionis sensus circa diaphragmatis regionem; dolor faucium et pectoris strangulans; respiratio dolens, sed haud plurimum difficilis; angustiae vel ponderis sensus in sinistra thoracis parte sub sterno per mammam sinistram usque ad scapulam et humerum porrectus; brachii et digitorum stupor et dolor. Hujus morbi insultus inter ambulandum, in ascensu per loca acclivia aut in ingressu contra ventum ingruunt. Prae doloris atrocitate nec loqui nec incedere

possunt aegri, manus supra caput extollunt et brachia adjuncto parieti suspendunt, ut aliquid levaminis percipiant; respiratio facilis est et tussis nunquam fere adest. Primi morbi paroxysmi breves sunt, sed cum invetarescit malum, facile recurrit sine causa manifesta, et recurrens gravius fit; pulsus debiles sunt et imbecilles; sudores diffusi toto e corpore erumpunt; vultus pallidus, distortus, et moestus; nausea; vomituritio. Sub morbi finem tussis accedit, ac hydropis et anasarcae symptomata adsunt.

CAUSAE.

Causae remotae sunt vitium cordis organicum; arteriarum vel earum cavitatum dilatatio; aortae vel valvularum semilunarium ossificatio; concretiones poliposae in corde; cor magnum vel nimis coarctatum; arteriae coronariae ossificatae, vel cartilagineae; copiosus adeps supra pericardium; vel sanguinis, puris, aut seri in eo effusio; aortae vel vasorum viciniorum compressio; foeces in colo induratae; balneum frigidum; arthritis; lues syphilitica. Causae paroxysmi proximae sunt quae congeriem sanguinis

antecedunt; pressio mechanica et stimulus illatus systemati sanguineo.

DIAGNOSIS.

Ab asthmate dignoscitur respiratione magis libera et tussis defectu; frequentes cordis palpitationes, et doloris lancinantis defectus syncopen ab angina pectoris distinguunt.

PROGNOSIS.

Infausta, nam cordis irritabilitas paulatim imminuta deficit omnino et deperit.

CURA.

Morbus hic facilius praepeditur, quam curatur. Si diathesis hypersthenicae adsunt signa, regimen antiphlogisticum; evacuantia; corporis quies; circulatio sanguinis ad extremitates promovenda; fomentationes calidae ad crura pedesque: si paroxysmus urgeat gravis, venae sectio cita (nec nos deterrere debet summa pulsus debilitas vel cutis refrigeratio) sed summa cum cautela est adhibenda; an emetica? Si saburrae ga-

stricae signa, cathartica, praecipue mercurialia; enemata emollientia. Cave a stimulis analepticis cujuslibet generis, etiamsi malesuada debilitas, virium prostratio et frigus pene lethale eos appetere videantur, malum inde continuo, si casum excipies scatentis flatubus ventriculi, et pulsus cordis arteriarumque mox evanidi.

Brera, Saggio patolog. sulla stenocardia. Vid Società Italiana delle Scienze 4.° Verona Tom. XV. e Giorn. di Medic. prat. sup. cit. Vol. V. pag. 1. seq.
Clarke, Diss. de syncope angente. 8. Edinb. 1802.
Corvisart, Essai sur le maladies organiques du coeur. 8. Paris 1812.
Morgagni, De sed. et causs. morb. sup. cit. Epist. XXVI. et XXVII.
Parry, An inquiry into the symptoms and causes of the syncope anginosa etc. 8. Lond. 1800.
Testa, Malattie del cuore sup. cit. Vol. II. Part. II.
Zecchinelli, Consideraz. sull'angina del petto etc. 8.° Padov. 1814.

CAP. VII. DYSPEPSIA.

CHARACTER.

Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo.

SYMPTOMATA.

Prima plerumque hujus morbi signa sunt, plenitudinis, et ponderis in ventriculo circa praecordia sensus, praecipue post cibum assumptum; appetitus imminutus, etsi non semper adsit, certe frequentissimum signum est; animus tristis et demissus; ventriculi inflatio et distentio, nullo cibo assumpto, unde flatus et supra et infra cum strepitu erumpunt; alvus modo adstricta, modo soluta, et frequens cardialgia. Morbo ingravescente, omnes corporis animique functiones imbecilles evadunt; dissolutus stomachus nihil alimenti fere appetit, vel assumptum nauseat, vel nondum confectum rejicit; ructus acidi vel acoris sapor post pastum in ore; dolor et anxietas in praecordiis, praecipue in regione hepatis usque ad dorsi spinam; capitis dolor; frequens cordis palpitatio; ictus arteriarum celeres sunt et imbecilliores; cutis arida et sicca; urina, modo naturalis, modo turbida et rubra, vel pallida et nimis copiosa. Morbo inveterato, corpus universum marcescit: aliquando assumptum alimentum, paulo post bovum instar, ruminat; foetet spiritus; lingua ari-

da est vel albido quodam flavove obtegitur muco; uvula et velum pendulum nonnunquam magnopere relaxantur; motum aeger aversatur, et vel levissima exercitatione defatigatur; cutis ubique est pallida, interdum lurida et flava; oculi hebetes fiunt; facies cadaverosa et labia livida evadunt; frigent extrema; calor corporis et omnes secretiones imminuuntur; tandem leucophlegmatia vel hydropes superveniunt. Tantis totque malis confectus aeger miserrimam ducit vitam vel lentae morti occumbit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt duplices. 1. Quae in ventriculum ipsum protinus agunt. 2. Quae in alias corporis partes agunt et in ventriculum atoniam diffundunt. Prioris speciei praecipue sunt, narcotica, et quae actionem ventriculi nimis excitant, qualia, opium, liquores spirituosi; nicotiana; thea et coffea; amara; acida; aromata; cibus plenior; vomitio nimis crebra; liquores calidi nimis profuse hausti; salivae excretio nimia. Quae in alias corporis partes primum agunt, ut, affectus animi violenti, vita sedentaria, stu-

dium intensius, venus nimia, tempestas humida et frigida; hepatis vitia; vita sedentaria, ignava sine exercitatione; ebrietas. Causa proxima est actio laesa fibrarum ventriculi muscularium.

DIAGNOSIS.

Hepatitis chronica dignoscitur a dyspepsia, nam dolor magis in dextro hypochondrio situs est, et ad summum humeri dextri se extendit: clorosis facile a dyspepsia distingui potest, in illo enim morbo prius menstrua cessant, quam signa dyspepsiae appareant. Tandem a scirrho pylori discrepat, in hoc vomitus longe citius quam in dyspepsia post cibum sumptum invadit, dolorem cum in dextrum latus recumbit, aeger queritur, et materia quaedam coffeae sedimento similis vomitu rejicitur.

PROGNOSIS.

Si aegri juvenes sunt aut aetate medii, morbo nondum inveterato; si causae, quae corpus debilitant haud sint fortiores, bonum est. Quod si aetate provecti hoc morbo afficiuntur; si longus incitantium abu-

sus praecesserit; si symptomata sunt gravia, et malum remediis haud respondet, curatio vix expectanda est.

CURA.

Emetica; sales alkalini et absorbentia, praecipue aqua calcis, sapo, cathartica ex aloe, magnesia, rhabarbaro, senna, aromatibus vel amaris conjunctis; flores zinci; bismuthi praeparationes; potassa aqua soluta et gas acido carbonico saturata; epispastica dorso: si actio ventriculi sit admodum debilis, ad tonum ventriculi restaurandum juvant, tonica, qualia ferri praeparationes, quassia, cinchona, columbo radix, et gentiana: quaedam symptomata sequenti modo sunt levanda; ventriculi inflatio levatur aethere sulphurico; cardialgia aqua seltzerana vel opio est amovenda; vomitus clisteribus opiatis; anxietas et oppressio post pastum aromatibus, ut decem piperis nigri granis statim sumptis; diaeta ex cibo animali foret confecta; exercitatio modica et balneum frigidum medelam accelerant; aquae bathonienses et aqua ex pice liquida parata conducunt; frictio externa abdominis; omnes denique causae quae occasionem praebent sedulo sunt evitandae.

Campbell, Diss. de dyspepsia. 8. Edinb. 1798.
Forestus, Oper. omn. sup. cit. Tom. II. Lib. XVIII., obs. 2. 3.
Haas, Diss. de debilitate ventriculi. 8. Lugd. Bat. 1739.
Hoffmann, Oper. sup. cit. Tom. IV. Cent. II. Sect. III.
Reil, Memorab. clin. Fasc. II. pag. 113.
Salius Diversus, de affect. particular. sup. cit. cap. 12.
Thuessink, Barict wegens de Zieksen, etc. Vid. Brera Giornale di Medicina Tom. V. pag. 96.
Wilson, Diss. de Dyspepsia. 8. Edinb. 1792.

CAP. VIII. HYPOCHONDRIASIS.

CHARACTER.

Dyspepsia cum languore, moestitia, metu, praecipue mortis, morositate, zelotypia, pravisque suspicionibus omnigenis, ex causis non aequis in temperamento melancholico, alvo modo dura, modo fusa.

SYMPTOMATA.

Morbus hic paulatim oritur et subdole ingravescit, ita ut symptomata jam jam memoranda ejus proteiformem et variam naturam demonstrent. Quodam mentis et corporis torpore afficitur aeger; appetitus modo solito major, modo autem penitus prosternitur; potus cujuscumque generis

fastidio habetur; dolor gravativus, cibo deglutito, ventriculum et praecordia aggreditur; paulo post intestinorum inflatio, ructus acidi, nausea, dolor circa cardiam rodens et gulae constrictio succedunt. Nunc vero ingesta, adhuc cruda atque immutata, ingenti viscidae materiae copia commista, regurgitant; saburra vomitu ejecta modo tam acida est, ut dentes hebetet, et aliquando foetore ova diu incubata refert. Dolores lancinantes praecipue sub costas spurias, in hypochondriorum, maxime vero in sinistra regione, intestina tentant; in regione epigastria subtus ventriculum immanis pulsatio percipitur, interdum renes et lumbos nephriticos colicosque mentientes, cruciant dolores; alvus pertinaciter adstricta, modo soluta et liquida evadit, et murmura ac borborigmi aegrum turbant; sputatio continua; dolores articulorum arthritidem mentientes; nonnunquam formicatio et prurigo cutim exercent, et exanthemata erumpunt quae iterum evanescunt. Pallet plerumque facies, vel moestitiam et suspicionem exprimit; corpus invito tardeque movetur; animus metui praecipue mortis, moerori, inquietudini, et zelotypiae proclivis est, ita

ut, absque ulla causa lacrimas aeger fundat, porro hominum consortia fugit, et solitudinem anxie quaerit, ne mens uni semper meditationi intenta, aliorum turbetur colloquio. Corporis functiones earumque mutationes anxie observat; si paulum muci cum sputis ex ore ejicit, vel si pulsus a statu ordinario aberrat, se pessime habere dicit; libros quaerit et sedulo legit, qui de morbis tractant, et in omni morborum descriptione, sui corporis statum delineatum prospicit; nulla in affectibus constantia, hodie odit, quem heri dilexerat; anxietas summa corpus et mentem exercet; somnus est turbatus, somniis terrificis interruptus; si e somno excitatur nunquam se satis refectum credit, per totum igitur diem dormit, vel somnolentia ac segnitie laborat. Manus pedesque frigent plerumque et stupent, dum facies calore incensa videtur; praecordia turgida et tensa sunt; frequentes desidendi conatus; dolore ardenti, qui aliquando partem ejus unicam affligit, lingua laborat; maculae luridae atque vibices per totam corporis superficiem maxime vero in extremitatibus inferioribus, sese ostendunt. Hydrops vel icterus subsequuntur; vertigo et

stupor, aurium tinnitus, cum auditu difficili et oculorum caligine frequenter occurrunt; artus etiam dolore obtuso, saepius acuto, distorquentur. Melancholia et mania aliquando superveniunt, quae aegri vitam tam gravem et miserrimam reddunt, ut aliquando, sibi ipsi mortem inferendo, finem tot tantisque laboribus quaerere cogatur. Multa ex signis jam descriptis raro tamen occurrunt, donec morbus altas radices acquisiverit. Nonnunquam paucis mensibus, saepius pluribus annis cursum morbus explet.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, temperamentum melancholicum; gravis et diuturnus labor; astringentia et tonica, sive interne sive externe, diutius adhibita; aqua gelida; glacies interne assumpta; liquidorum usus praetermissus; meditatio assidua de re unica, quae maximam attentionem exigit; tempestates humidae et nebulosae; pathemata animi, talia sunt aestus irae, metus etc.; venus immodica; evacuationes, praecipue sanguinis, profusae; arthritis vel febres intermittentes inveteratae; vita sedentaria igna-

va ; nimia stimulantium et aromaticorum ingurgitatio; opium et nicotiana crebro nimis adhibita ; ventriculi et intestinorum debilitas , unde distensio a cibo , flatu , foecibusque immensa . Causa proxima in ductus intestinalis ejusque nervorum debilitate aut laesa actione existere videtur. Hypochondriasis nunquam in prima aetate occurrit , raro juventutem infestat , post annum trigesimum quintum plerumque ingruit, quum, cessante magna arteriarum actione , plethora venosa abdominalis augetur .

DIAGNOSIS.

Hypochondriasis a dyspepsia dignoscitur , languore, mortis metu, pravisque suspicionibus semper praesentibus , alvo perpetuo astricta , et signis dyspepsiae minus violentis , irregularibus , vel omnino absentibus ; in dyspepsia , signa ejus affectionis majori semper adsunt gradu et perpetuo existunt, aut alia supra memorata minus sunt violenta vel omnino absentia. Hypochondriasim inter et melancholiam discrimen adest. In melancholia mentis functiones sunt plurimum turbatae, absque laesione corpo-

ris evidenti, ac melancholici propositi tenaciores constanter sunt.

PROGNOSIS.

Haec a morbi causis et a symptomatum indole et vi pendere videtur. Si hypochondriasis senes vel aetate provectos diutius laborat; si aliis morbis, praecipue hysteriae, arthritidi vel febribus intermittentibus diuturnis superveniat; si gravia animi pathemata vel scirrhus viscerum inveteratus praecesserint, malum semper est omen. Si vero juvenibus occurrit; si symptomata longiorem remissionem habent; si menstruorum vel haemorrhoidum profluvia jam suppressa iterum erumpunt, spes adest salutis.

Cadaverum dissectiones, abdomen sero sanguinolento refertum, intestina e propriis locis protrusa, congesta et tumoris inaequalis speciem praebentia, adhaerentia, condensata, rigida, livida et etiam subnigra demonstrant. Nonnulli etiam venas mesentericas turgidas atque varicosas, omentum scirrhosum, ventriculum dilatatum et liquorem foetidum continentem, pylorum duris et gangraenosis tuberculis obsitum, vel splenem ac hepar

abnormes, vel scirrhosos invenerunt. Medulla cerebri plurimum dura evadit, et cranium ubique intus colluvie serosa abundat.

CURA.

In methodo tractandi hypochondriasim tres indicationes animadvertantur, oportet. 1. Causas removere quae corporis animique debilitatem augent, vel eorum actiones impediunt. 2. Vigorem actionemque systematis, nervorum praecipue et viscerum abdominalium restaurare. 3. Methodum prophylacticam statuere, ne in recidivam ruat aeger. Ad primam indicationem plurimum confert, omnes illas causas avertere, quae morbo ortum praebere possunt; si aeger frigidam, humidamve regionem incolat, in calidiorem, vel magis siccam migrare oportet, aut aptatis vestibus frigoris effectui obviam ire. Si stimulantium et liquorum spirituosorum abusus est morbi causa, ab his paulatim recedat, solitudini haud nimium indulgeat, sed animi alacritas est sustentanda consortio venustorum atque lepidorum. Si adsit diathesis hypersthenica et hypochondriasis suppressioni mensium vel

haemorrhoidum superveniat, venaesectio; methodus antiphlogistica; emetica; cathartica lenia, talia sunt magnesia, sapo, sales alkalini. Si hypochondriasis a viscerum abdominalium scirrhis, pulmonum tuberculis, vel arthritide atonica originem ducit, remedia his morbis aptata sunt usurpanda. Ad ventriculi, aliorum viscerum nervorumque actionem restaurandam, juvant cinchona; amara, uti quassia, radix columbo et alia; ferri praeparationes; elixir acidum Halleri; aether sulphuricus cum aqua melissae vel cinnamomi; tinctura castorei; moschus, si odor sensiliores non offendit; vesicatorium regioni epigastricae, vel emplastrum picis burgundicae compositum abdomini est admovendum; aquae acidulae; balnea tepida, vel thermalia caloris gradu aegri sensibilitati aptato. Si alvus sit pertinaciter adstricta enemata emollientia, aut cum infuso florum chamomillae parata; aloe; purgantia mitia: symptomata dyspepsiae modis modo memoratis sunt levanda; pulveris rhabarbari grana sex et opii granum unum omni nocte, interdiu medicamenta simplicissima sunt utenda. Caeterum in hujus morbi cura, methodo prophylactica et regi-

mine diaetetico plus expectandum; exercitatio, praecipue equitatio, vectio in curru, venatio, aucupatio, perpetua migratio, navigatio, oblectamenta omnigena et anxietatis et pathematum animi impeditio, plus equidem juvant quam omnia remedia.

Bayny, Diss. de hypochondriasi. 8. Edinb. 1777.
Comparetti, Occursus medici de vaga aegritudine infirmitatis nervorum. 8. Venet. 1780.
Fracassini, Opuscul. Patholog. 4. Lips. 1758.
Gaubii, De regimine mentis quod medicorum est. 8. Argent. 1776.
Gattenhoff, Diss. de hypochondriasi in Frank opuscul. delect. Tom. I. pag. 1. et seq.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. IV. Sect. III. Cons. 29-42.
Sprengel, Op. sup. cit. Tom. IV. §. 545.-551.
Stahl, De vena portarum porta malorum 4. Hal. 1705.
Sydhenam. Oper. sup. cit. Tom. I. pag. 415 seq.
Whyte, Malad. nerveuses etc. 8. Vol. 2. Paris 1767. vid. Tom. 2 pag. 313. seq.
Zacchia, Dei mali hipochondriaci. 4. Roma 1644.
Zeviani, Del flato a favore degli Ipocondriaci. 4. Verona 1761.

ORDO III. SPASMI.

CHARACTER.

Musculorum vel fibrarum muscularium motus abnormes.

CAP. I. TETANUS.

CHARACTER.

Plurium musculorum spastica rigiditas; plerumque cum contractionibus convulsivis, dolorificis.

Diversae sunt hujus morbi species, quae vi et spasmorum sede differunt. *Tetanus rectus* dicitur, quando musculi spasmo aeque pollent, et homo statuae instar rigidus jacet. *Opisthotonos*, quoties spasmis correptis cervicis spinaeque musculis, corpus retrorsum vehementer flectitur ac arcus ad instar incurvatur. *Emprosthotonos*, ubi collum et dorsum ad anteriora flectuntur. *Pleurothotonus*, si corpus ad latus alterutrum inflexum riget. *Trismus*, denique, si rigescunt musculi, quibus maxilla inferior superiori attrahitur. Tetanus in hypersthenicum ac in hyposthenicum, et in eum qui pendet a vitio locali, sive traumaticum a recentioribus dividitur.

SYMPTOMATA.

Morbus hic plerumque lentius obrepit nec tam cito increscit, nunc vero tam re-

pentinus et subitus est, ut dicto citius homines rigidi, veluti statuae, permaneant. Lassitudo insolita, totiusque corporis sensus molestus musculorum rigiditatem praecedunt. Eodem fere tempore, musculi cervicis et humerorum quadam corripiuntur rigiditate, ut aeger neque in alterutrum latus inclinare, neque deorsum proclinare possit, nisi eodem simul truncus flectatur. Dolet lingua, et rigentibus musculis maxillaribus, tanta est eorum contractio, ut aperiri os nequeat, aut oris apertura non claudenda. Dolor vehemens sub cartilagine ensiforme sentitur, et ad dorsum protenditur; alimenta dentibus conficere, et confecta divorare haud valet aeger; pulsus modo tardi sunt et duri, modo prorsus naturales. Morbo aucto, musculi dorsales rigent, ut erigi corpus nequeat; facies interdum pallida est, saepius vero rubet; nonnunquam faciei et oculorum musculi in gravissimos spasmos rapti, horrendum in modum distorquentur; pulsus sunt celeres, exiles, et inaequales; respiratio celerior evadit; cor vehementer palpitat; calor corporis, qui prius naturalem haud excedebat, nunc vero intenditur; abdomen, prae

vehementibus musculorum contractionibus tactui durum, sicut tabula est; alvus pertinaciter astricta; vesicae contractio iscuriam producit; vigiliae continuae, si quando somnum capit, saevientibus spasmis, statim excitatur. Tandem motus convulsivi junguntur, et miserrimus aeger mortem occumbit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, regiones nimis calidae, intemperantia, diaeta tenuis et infirma, venus immodica, animi pathemata praecipue terror. Causae excitantes sunt, corporis prius calefacti frigori, vel frigido et humido aeri simul expositio; primarum viarum sordes; vermes; fungi venenati; venena alia ingesta; evacuationes solitae suppressae praecipue epistaxis; stimulantia spirituosa nimis liberaliter adhibita et spinalis medullae inflammatio, hypersthenicum tetanum inducere possunt. Febres hyposthenicae, frigor, terror, aer corruptus nosocomiorum, carcerum et navium, profusa sanguinis jactura praesertim in puerperis, tetanum hyposthenicum lethalem excitant. Tetanus traumaticus ex vulneribus quibus-

libet oriri potest, et praecipue ex vulneribus puncta acceptis; laesio partium sensiliorum, nempe nervorum, tendinum, aponeurosium, post luxationem, vulnera, aut casu accepta; operationes chirurgicae variae; nonnunquam etiam concitatur nervo, luxatis ossibus aliisve quibuscunque causis laeso.

PROGNOSIS.

Exitialis hic morbus plurimum periculi affert. Salivatio spontanea et copiosa, urina arenosum vel album et crassum sedimentum deponens cum symptomatum remissione evidenti, nonnunquam fausta sunt signa. Febres accedentes haud semper tetanum solvunt, uti nonnulli dixerunt, nam visi sunt tetani lethales, licet febris accessisset. Si contractiones violentae et admodum crebrae fiunt, si extremarum partium frigus adsit, et symptomata sine remissione magis magisque augeantur, maximum esse periculum ostendunt. Puerperis tetanus est periculosissimus, vulneri accedens fere lethalis. Quibus tetanus pepercit, ii tarde convalescunt, haud raro per plures menses, prae musculorum

impotentia totiusque corporis imbecillitate, nequeunt se lecto movere.

CURA.

Si diathesis hypersthenica vigeat, venae sectio et methodus antiphlogistica sunt adhibenda; hyrudines; cucurbitulae cruentae dorso et nuchae; digitalis purpurea. In tetano hyposthenico a stimulis minoribus ad majores paulatim transeundum; remedia interna sunt, vinum et opium libere, ab exigua opii dosi incipere oportet, et ad majorem sensim transire; si opium camphora vel moscho sit conjunctus, efficacissimum erit remedium; cinchona; an alcali fixum vegetabile cum opio? Assa foetida per clisteres adhibita. Remedia esterna sunt, balnea tepida; balneum frigidum in convulsionis paroxismo; corporis frictio cum oleo unguentisve; cum unguento hydrargyri frictio, donec salivam moverit; electricitas; nutrientia per anum injecta. Si tetanus a saburra gastrica vel a vermibus, est idonea sua methodo tractandus. Si a vulnere oritur, partem vulneratam excidere, vel nervos aut tendines pro parte dissectos ferro dividere oportet.

BELL GIOV., Discorsi sulle ferite, traduz. del Dott. SOLENGHI, 8.° Vol. 3. Milano 1808. Vid. Tom. II. pag. 161. seq.
BONTIUS, Medic. Indorum sup. cit.
COCHRANE, Diss. de tetano. 8.° Edinb. 1791.
DAZILLE, Observations sur le tetanos 8.° Paris 1788.
MORGAGNI, De sed. et caus. morb. sup. cit. Tom. I. Epist. X. Art. 2.
MOSELEY, A treatise on tropical diseases etc. 8.° Lond. 1789.
TRNKA, Comment. de tetano. 8.° Viennae 1777.
ZULATTI, Sul tetano. Vid. Giornale per servire alla storia ragionata della medicina ec. 4.° Venezia Tom. III.

CAP. II. TRISMUS NASCENTIUM.

SYMPTOMATA.

Hic morbus, novem post partum diebus, vel intra duas primas a nativitate septimanas infantes aggreditur. Absque praegressa laesione aut alia causa externa infans in languorem insolitum incidit; fletus continuus morbum declarat; vomit antea bilem porraceam, et urina limpida est aut intercepta; tum musculi mandibulae inferioris obrigescunt, os semiclausum remanet, et gingivae inter se initio distant, ex quo difficilis maxillarum motus; tandem inferior superiori ita

annectitur, ut nullo prorsus modo diduci queat; labiorum motus fere nullus; deglutitio impedita, adeo ut puer lac ex mammis sugere nequeat; alvus pertinaciter astricta; ventris tumor, et acerbus dolor; quandoque colli et trunci spastica rigiditas; cutis livida, et os colorem ex flavo albicantem refert; pulsus fere immutatus remanet per plures dies; convulsiones tandem, apoplexia et mors. Haec omnia aliquando remittunt, et postea iterum recurrunt.

CAUSAE.

Tempestates calidae et humidae vicissitudinibus temperiei obnoxiae; meconium in primis viis collectum; lac corruptum atque acre intestina irritans; bilis atque hepatis vitia; alimenta nimis cruda vel nimia copia assumpta; aer impurus et depravatus in aedibus puerperarum; funiculus umbilicalis post partum imperite incisus aut male curatus.

PROGNOSIS.

Si trismo post aliquod temporis spatium, vel tetanus, vel aliud morborum periculo-

sorum genus supervenerit, praecipue si collum rigore quodam corripitur, si infans neque solidos cibos neque fluidos deglutire valet, si lac et fluida quae assumit, per nares regurgitat, si denique in dorsi et lumborum regione musculi rigent, et pedum manumve extrema sunt frigida, infausta sunt indicia. Quo ocius a nativitate vexantur infantes, eo periculum majus. Bonum autem morbi exitum sperare licet, si contractio musculorum oris atque colli non tam vehemens est, si puer lac et fluida facile sugere et deglutire potest, si neque in dorsi regione, neque in pectore motus convulsivi observantur. Parvae in cute efflorescentiae, si morbum levant, bonae sunt notae.

CURA.

Si a meconio in primis viis collecto, vel lacte corrupto atque acri, emetica et cathartica lenissima; radicis ipecacuanhae parvula dosis cum saccharo remixta est exhibenda; ad intestina liberanda a sordibus, oleum ricini, laxantia lenia ex rhabarbaro ac manna parata; si vero infans nequeat deglutire, clismata emollientia et le-

niter purgantia. Si convulsiones nimis urgeant et gravissimae sint nervorum distentiones, stimulantia; oleum succini; vinum et balneum frigidum; moschus aut in pulvere cum saccharo commixtus, aut fluida forma, cum aqua melissae vel menthae piperitidis, largis dosibus exhiberi potest; balnea calida; enemata, quibus opii vel assae foetidae aliquid adjici potest.

Ackermann, Comment. de trismo. 8.° Goetting. 1775.
Acta Helvet. Tom. I. pag. 64.
Cleghorn, Observations on the epidemical diseases in Minorca, sup. cit.
Dazille, Observations sur le tetanos. 8.° Paris 1788.
Grainger, Essay on the mores common epidemical West-India diseases. 8.° Lond. 1764.
Heister, Compendium medicinae. 4.° Helmast. p. 337.

CAP. III. PROSOPALGIA, SEU TRISMUS DOLORIFICUS.

SYMPTOMATA,

Morbus hic tam atrox non eodem modo in quolibet incipit, modo enim accessus habet periodicos vel irregulares, modo, nullo praevio symptomate, aegrum corripit.

Dolor gravis, lancinans et vehemens quamdam faciei partem afficit, vel qua nervus infraorbitalis prodit, ex quo loco dolor se radiatim quasi in partes vicinas diffundit, haud raro a plexu anserino nervi facialis; vel etiam a ganglio spheno-palatino, rarissime vero maxilla inferior sedes doloris est. Deglutitio et loquela saepius prae dolore impediuntur, quando scilicet loqui tentat aeger, dolor admodum augetur, ita ut nec labia neque linguam movere possit. Vasa temporalia in graviori paroxysmo valde intumescunt, et pulsantur; in fronte usque ad nasi radicem vibices rubrae apparent; facies, oculis quandoque exceptis, aliis rubra est et sanguine turget, aliis pallet, quin immo collum inflatur et suffocationis periculum imminet. Pyrexia nulla, nec calor, nec frigus; pulsus mollis et fere naturalis, saeviente dolore tardior evadit; urina in paroxysmo pallida et aquea, tempore remissionis citrina aut turbida est; respiratio fit rara et spasmis intercipitur, saepe vero uti in statu naturali remanet; abundantior salivae secretio, qua aeger emaciatur et contabescit; dentium sensilitas, praecipue incisivorum, nimis aucta ut ne mollissima

manducare queat. Morbo ingravescente et diutius durante dolor prius levis, deinde gravior, tandem adeo intolerabilis evadit, ut summis aeger cruciatibus afficiatur; diu noctuque crudelis paroxysmus imminet; faciei musculi continuo vibrant et palpitant; appetitus prostratus cum cardialgia et summa virium jactura; memoria et judicium non nihil debilitantur; alvus pertinaciter adstringitur; aeger interdum glandulis scirrhosis laborat; frigent pedes manusque; abdomen intumescit; facies tumida est, rubet, et musculi distorquentur; pedes oedematosi apparent, tandem convulsiones et mors.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt, diathesis arthritica vel rheumatica; labes venerea; cancrum occultum, uti in foeminis post fluxum mensium cessantem; vita sedentaria, ignava; morbi praegressi. Causae excitantes sunt, primarum viarum sordes; nervi maxillares, infraorbitalis aliique faciem, collum, maxillamve pervadentes nimis irritati; affectus animi vehementiores; ingesta calefacientia; regimen nimis exci-

tans; dolor faciei, licet omnis fere aetatis et utriusque sexus homines aggrediatur, foemineo tamen prae caeteris post annum quadraginta magis est familiaris.

CURA.

Secundum causarum diversitatem est instituenda; si morbi causa in primarum viarum sordibus lateat, cathartica lenia; si diathesis hypersthenicae signa, venae sectio, hyrudines; diluentia, uti serum lactis; mucilaginosa ex vegetabilibus; an digitalis purpurea? pediluvia et balnea tepida: si a cancro occulto oritur, extractum cicutae, quotidie larga dosi est adhibendum. Originem siphyliticam si agnoverit malum, mercurialia; si vitium arthriticum lateat, pulvis Doweri; refractae antimonialium doses cum opio. Ubi signa diathesis hyposthenicae et vires sint nimium debiles, stimulantia, praecipue sic dicta antispasmodica, interne et externe sunt propinanda. Interne, opium; castoreum; aether; moschus; assa foetida; extractum hyoscyami: externe tinctura opiata, vel linimento volatili locum affectum illinire oportet; aetheris ex-

terne parti affectae applicatio; cinchona; amara; epispastica; setacea; fonticuli; balnea frigida vel glaciei usus topicus; electricitas. Dissectio nervi infraorbitalis a nonnullis fuit tentata sed haec operatio non solum difficillima est, verum etiam maximis stipata doloribus.

André, Observations sur les maladies de l'urethre. 8. Paris 1756. p. 318.
Boehmer, In Blumenbach Biblioth. med. Tom. III. pag. 315. seq.
Forstmann, Diss. de dolore faciei Fothergillii. 4. Duisb. 1790.
Fothergill, Medical observations and inquiries by a society of physicians etc. 4.° Lond. vid. Vol. V. p. 129. 1776.
Lentin, In Biblioth. Blumenb. sup. cit. Tom. I. pag. 146. seq.
Volger, Biblioth. Blumen. sup. cit. Tom. I. pag. 506.

CAP. IV. CHOREA S. VITI, SEU MORBUS GESTICULATORIUS.

CHARACTER.

Morbus convulsivus, impuberes utriusque sexus, ut plurimum intra decimum et decimum quartum annum adoriens, gesti-

culationes involuntarias referens, sine mentis laesione vel ea parum turbata.

SYMPTOMATA.

Capitis dolor, vertigines, spasmi, oris contorsio, artuum titillatio, inquietudo, somnolentia, gulae constrictio, linguae titubatio, claudicatio, cordis palpitatio et oppressionis in pectore sensus, sunt symptomata quae hujus morbi accessum praecedunt. Mox excitantur gesticulationes ridiculae in digitorum et manuum motu, histrionum gesticulationes referentes; pedibus aeger trepidat, crura manusque volens nolens diu noctuque jactitat, et brachia distorquet, ita ut quae manibus capit, ori admovere via recta nequeat; claudicatio vel potius instabilitas cruris alterius quod post se trahit fatuorum more; postea in manu ejusdem lateris cernitur, quam nullo modo in eodem situ potest continere, sed in alium locum convulsione quadam distorquetur. Loquela impedita; deglutitio difficilis; respiratio anxia; valide appetit et arrepta avide devorat; singultus et pectoris oppressio. Mentis in multis turbatio, modo enim hilares

rident et cachinnos edunt; modo vero timore correpti silent, vel gemunt ac lacrimas fundunt. Nonnunquam aeger mentis compos est, et praeteritorum quoque memor, sed velit licet a se tantum obtinere nequit, ut artus commoti quiescant, mordet, lecto exultat, et indusia dilacerat. Post accessum somnolentia, vel fatuitate corripitur.

CAUSAE.

Occasionales causae sunt, animi pathemata, praecipue terror et ira; cibi vel nimia copia ingesti, vel concoctu difficiles, uti pisces; vermes; menstruorum difficilis eruptio; achores, tinea capitis intempestive suppressa; herpetica ulcera citius exsiccata; vulnera nervorum vel tendinum; arthritis vaga; onanismus; educatio nimis mollis, vel delicata corporis constitutio; mercurialium abusus; an dispositio haereditaria? Morbus hic pueros vel puellas, a decimo aetatis anno, ad pubertatem usque invadit. Hypersthenicae vel hyposthenicae diatesi jungitur.

PROGNOSIS.

Morbus hic raro periculum affert, nisi gravior sit, intra enim mensem unum, vel tres aut quatuor, si frequentiores accessus sunt, solvitur. Si diuturnus est, insanabilis evadit, tunc epilepsiae, hystericis morbis, paralysi associatur, vel in fatuitatem desinit.

CURA.

Hypersthenica chorea methodo antiphlogistica est curanda; venae sectio, hyrudines, cathartica lenia repetita. Si adsunt primarum viarum saburrae, emetica alternis diebus exhibita; si vermium signa, anthelmintica; assa foetida: si a systematis mobilitate aucta oritur, cupri ammoniaci vel zinci praeparationes; hydrargyrus; succus hyoscyami spissatus; datura stramonium; ferri praeparationes; an carbonas potassae? Atropa belladona; arnica. Si ex retropulsis cutis morbis originem ducit, epispastica, vel vesicantia; cucurbitulae sine ferro. Si vero ex diathesi pendet hyposthenica, excitantia et tonica secundum debilitatis gradum sunt

exhibenda, cinchona; moschus; camphora; oleum animale Dippellii, vel oleum cajeput; valeriana cum infuso corticum aurantiorum, vel cum liquore anodino Hoffmanni; frictiones cum linimento aromatico ad spinam dorsi; balneum frigidum, an electricitas?

Ad hunc morbum pertinere videtur *Berry-Berry* Indorum, morbi convulsivi species, quae cognoscitur ex motu tremulo manuum, pedum ac totius corporis, cum sensu stuporis dolorifici in his partibus; vox exilis evadit et rauca cum pectoris oppressione. Aeger inter ambulandum, ovium instar extremitates inferiores movet; genua rigida et immota remanent, crura tantum moventur totumque corpus tripudiare cogitur.

Basseville, An chorea S. Viti evacuantia, narcoticis etc. 8.° Paris 1739.
Bontius, Med. Ind. sup. cit.
De Haen, Oper. sup. cit. Tom. I. pag. 106. Tom. II. pag. 202.
Ewald, Diss. de chorea. 8.° Edinb. 1786.
Paeonis et Pitagorae, Exercit. famil. 8.° Basileae 1682. pag. 166.
Plouquet, Initia Biblioth. medic. practicae. 4.° Vol. 4. Tubingae 1808. Vid. Tom. I. pag. 292. et seq.
Spamberg, Diss. de chorea. 8.° Hal.
Strack, In actis societ. Moguntinae ann. 1776.
Sydenham, Oper. omn. sup. cit. Vid. Tom. II. pag. 516., et 662.

CAP. V. CATALEPSIS.

CHARACTER.

Perfecta sensuum et motuum voluntariorum abolitio vel suspensio sine febre, cum certa musculorum aptitudine ac cerea flexibilitate, qui in ea positione remanent in qua versantur.

SYMPTOMATA.

Catalepsis modo prodromis conjungitur; modo repente invadit. Capitis et membrorum gravitas, tinnitus aurium, oculorum caligo, lacrymae, vertigo, cephalalgia, aesophagi constrictio, oscitatio, anxietas, inquietudo, rubor faciei subsequente pallore, sunt signa quae hunc morbum praecedunt. Si aegros repente aggreditur, ii statuae marmoreae vel aeneae instar rigescunt, cum sensuum et motuum voluntariorum privatione, et in ea positione remanent immoti, in qua corripiuntur. Membra tamen et artus ipsi inflecti possunt, et quo sunt loco manent; subito obmutescunt, nec alloquentibus respondent; palpebrae apertae sunt

et eodem obtutu haerent; si steterint aut sederint, stantes aut sedentes remanent, si oculos habent clausos vel apertos, et immobiles, clausi vel aperti et immobiles manent; cutis stimulos, quibus afficitur, haud sentit neque sensus signa edit. Alvus interdum pertinaciter est adstricta; urinae secretio supprimitur; respiratio parum mutata; pulsus fere naturales sunt, aliquando vero languidi ac debiles. Abdomen tumidum, deglutitio parum impedita, nam aliquid ori intrusum deglutiunt. Tandem finito paroxysmo, suspiria ex pectore emittunt et quasi somno expergefacti ad se redeunt, labia sensim sensimque movent, dein pedes, crura et alias corporis partes. Nonnulli mira se vidisse asserunt, alii vero nunquam reminiscuntur, quae per insultum acta sunt, et negotia interrupta, vel sermonem quem ceperant ante paroxysmum continuant. Quibusdam supersunt capitis dolores, artuum gravitas, insomnia et tristitia. Quandoque in melancholiam, epilepsiam, vel in hypochondriasim desinunt. Paroxysmus plerumque horae dimidium durat, aliquando vero per octo horas, nec desunt exempla paroxysmi per totum diem perdurantis.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, primarum viarum sordes; vermes intestinales, praecipue ascarides; vehementiores animi affectus, uti terror, moeror et tristitia; amor delusus; nimia mentis intentio; menstruorum suppressio; febres intermittentes diuturnae, praesertim quartanae; varia cerebri vitia; cibi difficiles concoctu; nimia potuum fortium ingurgitatio; solitae corporis evacuationes suppressae; viscerum abdominalium obstructiones. Causa autem proxima hujus morbi adhuc latet, nec determinari potest.

DIAGNOSIS.

A tetano facile distinguitur, in hoc enim corpus riget, nec partes impelli vel inflecti possunt, et si aliquis eas commovere tentat, magno aeger dolore vexatur. Ab epilepsia differt convulsionum clonicarum et spumae oris absentia. A syncope discernitur pulsu, respiratione, situ et positione integris manentibus in catalepsi, quae omnia in syncope aliter se habent. Ab apoplexia tandem

distinguitur, nam in catalepsi musculi motum retinent, quamvis motuum voluntariorum potentia absit; in apoplexia vero musculi, motibus a voluntate pendentibus destinati, paralytici fiunt, nec amplius corpus sustinere valent, unde repente concidat.

PROGNOSIS.

Si causae hunc morbum producentes sunt graviores; si aliquo vitio cerebri vel gravi viscerum abdominalium laesione oritur; si febribus diuturnis, vel febri inflammatoriae accedit; si in apoplexiam vel in paralysim desinit, eventus est anceps. Contra si causae sunt leviores, et auferri possunt, si paroxysmi breves sunt, si a sordibus primarum viarum vel a vermibus ortum ducit, haud grave minatur periculum.

CURA.

Curatio diversa est pro causarum et diathesium varietate. Si diathesis hypersthenicae signa, si a menstruorum vel ab epistaxis suppressione oritur, si specialis capitis plethorae signa adsunt, et aeger temperamenti

est validi, venae sectio; hyrudines narium pinnis admotae, saepe enim sanguinis eruptione per nares facta catalepsis solvitur; cucurbitulae scarificatae inter scapulas; methodus antiphlogistica; diluentia; pedum balnea tepida; diaeta tenuis sit; purgantia lenia; digitalis purpurea: si saburrae gastricae sint causae, emetica etiam repetita; purgantia; enemata acria; sternutatoria; spiritus salis ammoniaci ad nares; partium extremarum frictio cum panno laneo: vermes, antelminticis sunt expellendi. Si diathesis hyposthenicae signa adsunt manifesta, stimulantia praecipue volatilia, moschus; castoreum; assa foetida tam ore assumpta, quam ano injecta; camphora; opiata; epispastica nuchae apposita; electricitas; balneum frigidum. Si cum febribus intermittentibus conjungitur, cinchona et alia remedia iis aptata. Si gravia animi pathemata vel amor infelix praecesserint, alacritate et persuasione aegri mens est componenda; aeris et coeli mutatio, itinera, oblectamenta omnigena optime conducunt, evitata animi perturbatione.

Albinus, Diss. de catalepsi Francof. 1690.
Bellini, Oper. omnia. 4.° Vol. 2. Venet. 1747.

Brendel, Diss. de catalepsi. 4.° Wittenb. 1700.
Gerson, Diss. de catalepsi. 4.° Gotting. 1797.
De Haen, Oper. sup. cit. Tom. IV.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. IV. cap. IV. pag. 150.
Lazerme, De morbis capitis sup. cit. pag. 174. seq.
Marcellus Donatus, Memorab. med. sup. cit.
Sprengel, Inst. sup. cit. Tom. IV. cap. VI. §. 508. 509.
Van Swieten, Comment. sup. cit. Tom. III. p. 140.
Wedel, Diss. de affectibus soporosis, et catalepsi. 4. Jenae 1708.

CAP. VI. EPILEPSIA.

CHARACTER.

Corporis vel partis ejus convulsio, cum sensuum externorum internorumque abolitione.

SYMPTOMATA.

Repente plerumque accedit et dormientem nonnunquam aegrum invadit, aliquando vero ante paroxysmum languorem universum, oscitationem frequentem, linguam titubantem, lassitudinem, capitis dolorem, vertiginem, pavorem ab irruente fera aut spectro et insomnia horrifica, persentiscit aeger; scintillae ante oculos, oculorum lacrimatio, palpebrae tumor, facies

turbata, arteriarum temporalium vibratio; cordis palpitatio, et formicationis sensus praecedunt; incipit dein haud raro paroxysmus sensu frigoris, quasi aura frigida caput versus ascendente, quod quamprimum attigerit, aegrotus si tunc temporis steterit, concidit clamorem horrendum edens, modo aliquot passus procurrit, et modo ante lapsum in gyrum agitur, tandem sensus omnigeni expers jacet. Musculi corporis totius, potissimum vero faciei digitorumque convelluntur, pollicis intra reliquos digitos retractio; os oculique distorquentur, vel musculis eodem modo affectis, rapide rotantur, neque ulla pars praeter imam tunicae albugineae portionem inter palpebras semiclausas et motu tremulo conniventes apparet. Nonnunquam oculi fixi manent, frons corrugata irae speciem praesefert; lingua saepe inter dentes remanet, nec raro vulneratur; materies spumosa aut sanguine tincta ex ore ejicitur; caput, musculorum convulsione mire rotatum, nunc scapulam versus retrahitur, nunc ad sternum antrorsum flectitur; respiratio gravis, et stertens ob musculorum pectoris et diaphragmatis violentam agitatio-

nem; nonnunquam spiritus ducitur ingenti nisu, ac gemitu, qualem viri robusti pondera graviora elevando edere solent; maxilla inferior adeo aliquando distrahitur, ut ad anteriora luxetur. Pulsus ab paroxysmi initio celer, exilis vixque percipiendus est, ad ejus finem, plenior, tardior, debilis tamen evadit; borborigmi; ructus; vomitus; stercoris, urinae et seminis involuntaria excretio. His signis sensim decedentibus, paroxysmus, aegro in soporem illabente, finitur, brevi dein ad sese redit, nihil omnino quod per paroxysmum acciderit reminiscens; debilitas summa diu persistens cum capitis dolore, hebetudine, delirio, vel faciei echymose interdum comparet; in apoplexiam frequenter finitur.

Varias hujus morbi divisiones dederunt medici ratione causarum, originis, decursus, accessionum et extensionis; recentiores vero epilepsiam in illam quae pendet ab aucta systematis universi actione, ac in eam, quae a virium vitalium vel actionis systematis debilitate pendet, et hyposthenica dicitur.

CAUSAE :

Causae praedisponentes sunt quaedam nervosi systematis mobilitas et labes haereditaria. Causae excitantes, sunt stimuli mecanici ; stimuli chemici acres ; saburra gastrica ; irritationes mentales, praecipue gaudium, ira ; irritatio a vasis sanguiferis intra cranium distentis oriunda ; cranii fractura, aut vulnera cerebrum ejusque membranas laedentia ; cranii fragmenta ; ossicula intra cranium nata, et in mucronem excrescentia ; cerebri ejusque membranarum tumores ; caries ossium, aut humor acris intra cranium et cerebri substantiam effusus ; sinus venosi cerebri aut eorum pars in cartilaginem versi ; studium nimium, vel negotium intensius et diuturnum ; dolor ingens ; vermes ; dentitio ; variolae accedente papularum eruptione. Quidquid plethoram capitis vel cerebri actionem adauget epilepsiam hypersthenicam inducit, diaeta lautior, nimia liquorum spirituosorum ingurgitatio, exercitatio immodica, insolatio, febres hypersthenicae remediis excitantibus tractatae. Vasorum cerebri tentio imminu-

ta; haemorrhagiae profusae, vel profluvia immodica; terror, horror, odores complures, venena, studia nimis protracta et animi pathemata hyposthenicam epilepsiam inducunt.

DIAGNOSIS.

Ab convulsione omnigena, sopore et impressionum externarum sensu omnino sublatis dignoscetur: ab apoplexia, motibus voluntariis auctis: ab hysteria animum ad sequentia advertendo facile discerni potest; in hystericis urina limpida et magna copia profunditur, globi sensus ad fauces ascendit et strangulationem minatur, convulsiones ipsae longe graviores ac generaliores sunt in epilepsia quam in hysteria; raro aut nunquam hysteria ante pubertatem invadit, impuberes vero in epilepsiam prócliviores sunt; tandem oris spuma est semper epilepsiae comes, raro aut nunquam hysteriam comitatur.

PROGNOSIS.

In epilepsia symptomatica magis fausta quam in idiopathica; in junioribus minus

periculosa, quoniam in pueris sub pubertatis tempus, et in puellis mensibus provenientibus decedere solet; nonnunquam per longum tempus, et usque ad mortis diem durat, et nullum vitae periculum affert; febris intermittens vel eruptio cutanea saepe morbum fauste solvit. Si vero convulsiones violentiores sunt; si respiratio multum laboriosa fit et vultus livore ac rhonco comitetur; si paroxysmorum intervalla breviora existunt et sopor profundus adest, spes erit in ambiguo, apoplexia enim lethalis timenda est. Epilepsia saepe in maniam, fatuitatem, paralysin, kyphosim vel in amaurosim transit. Quae a mala capitis conformatione, vel haereditaria vix sanatur.

Ex anatome pathologica varia vitia inveniuntur pro diversa epilepsiae natura. Quae in capite observantur, sunt tumores in interna calvariae superficie, nodi et excrescentiae osseae, corpuscula in processu praecipue falciformi, turgida; cerebri membranae densitate auctae, siccae, vel in aliqua parte ossificatae aut tuberculis conspersae; membranarum vasa admodum turgida, vel inter se coalita; sunt etiam qui glandulam pituitariam suppuratam, et hy-

datides in plexubus choroideis cum serosa colluvie conjunctas invenerunt.

CURA.

In paroxysmo antispasmodica et stimulantia interna et externa, sed caute sunt utenda, nam nimis excitare possunt aegrum, et apoplexiam inducere; alvus leniter soluta est servanda et vestes laxandae. In intervallis epilepsiae cura haud facilis est, saepe enim hujus morbi causae alta caligine latent, nec detectae semper removeri possunt. Cura est instituenda secundum aegri vires et totius sistematis affectionem; si hypersthenicae diatheseos signa, et juvenes plethoricos, vel corpora exercitata aut quae liquoribus spirituosis indulgent, epilepsia aggreditur, venae sectio et methodus antiphlogistica. Flores zinci, ferri praeparationes, argentum nitratum, hyoscyami extractum a grano uno ad decem ter indie, datura stramonium, atropo belladonnae folia a dimidio grani ad tres, digitalis purpurea, helleborus niger, cardamines pratensis folia, cuprum ammoniacale a dimidio grani ad duo usque ad novem, nu-

cis vomicae granum unum ad decem in die et hydrargyri praeparationes, sunt remedia quae laudantur in hujus morbi cura. Si vero diathesis hyposthenica sit, et debilitatis totius systematis signa adsint, remedia stimulantia tam volatilia quam fixa, qualia sunt cinchona, radicis valerianae silvestris infusum vel in pulverem redacta, moschus, oleum animale Dippellii, olei cajeput guttae tres vel quatuor in die cum infuso valerianae, oleum succini rectificatum, elixir acidum Halleri, frictiones, balneum frigidum, electricitas, exercitatio, vesicatoria, setacea, cauteria varia, etiam moxa capiti et cervici, sed eorum potissimum est opium, quod dari debet per plures menses saepe in dies; an aether phosphoricus? an tinctura arsenicalis Fowler? Plurimum apud nos valet electuarium sic dictum ex Brera. Si morbus a vermibus oritur, anthelmintica vel quae necant aut vermes expellunt. Si cranii fractura aut ossis ejus depressio sit morbi causa, manus chirurgica est adhibenda. Si aura epileptica ab aliquo nervo superficiali irritato proveniat, incidatur oportet. Omnibus frustra tentatis diaeta, ratio vitae et regio prorsus sunt immutandae.

Araeteus, Acut. lib. I. cap. V.
Ballonius, Oper. omn. sup. cit, cons. I. p. 33. §. I. II. p. 4. III. p. 43. 52.
Boerhaave, De morbis nervorum. 4. Vol. 2. Venet.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. III. pag. 9. seq.
Kriggel, Diss. de epilepsia. 8. Lugd. Batav. 1722.
Ludwig, Advers. medic. pract. sup. cit. Tom. I. part. I. pag. 71. seq.
Mead, Oper. omn. sup. cit. Sect. III. pag. 17.
Motherby, Diss. de epilepsia. 8. Edinb. 1799.
Pressavin, Traité des vapeurs. 8. Lyon 1771.
Steiz, Diss. de epilepsia. 4. Basil. 1608.
Stoll, Praelect. sup. cit. Tom. I. p. I.
Tissot, Traité sur l' epilepsie. 12. Paris 1770.
Van-Swieten, Oper. sup. cit. Tom. III. §. 1071.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 497-503.
Wepherus, Oper. sup. cit. p. 581.

CAP. VII. RAPHANIA; SIVE FORMICATIO.

CHARACTER.

Morbus convulsivus, cum formicationis sensu sub cute, ac articulorum contractione, agitatione membrorum et dolore violentissimo periodico vel anomalo.

Raphania in acutam et chronicam dividi potest.

SYMPTOMATA.

Debilitas, inquietudo, tristitia, nausea; dolor circa ventriculi regionem, et praecipue veluti zona cingens epigastrium. Formicationis sensus per totum corpus; vertigo; cephalea; in quo statu per septem octove dies permanet aeger. Morbo aucto, contractiones dolorificae artuum modo citius modo tardius apparent; convulsiones incrdinatae cum dolore pruriente vix tolerando, hinc inde cessante et post aliquot horas redeunte; rigiditas membrorum; vomitus; bulimia; digiti aliquando convelluntur; episthotonos vel emprosthotonos; risus sardonicus; voces insonae; anxietas; subsultus tendinum, et post iteratos insultus convulsivos et epilepticos tumor membrorum et inflatio, saepe etiam tubercula vel vesiculae viscido humore plenae comparent. Diarrhoea et capiplenium sunt symptomata huic morbo generalia. Pulsus aliquando naturales sunt, febris fere nulla, nisi internus caloris sensus, aliquando vero (uti in acuta hujus morbi specie) febris accenditur ventriculi doloribus stipata, cum aestu intestino vali-

dissimo; pulsus frequens; horrores; sitis magna et vix ferenda; secretiones parum imminutae; vomitus materiae mucosae, vel vermium; exanthemata miliaria, rubra vel uredinis urticatae; delirium; interdum gangraena accedit. Dolore cessante sudor, et sopor haud raro apparent, oouli minus flexiles sunt; lingua non satis expedita, digiti incurvi. Post aliquot hebdomadas convulsiones, virium jactura, membrorum livor cum alicujus partis sphacelo et mors. Si morbus diuturnus evadit, in epilepsiam, paralysin, fatuitatem vel in amaurosim degenerat.

CAUSAE.

Causae excitantes sunt aeris constitutio; secale cornutum seu clavi secalini; lolium temulentum; cibus depravatus, potissimum ex vegetabilibus; inedia; animi pathemata. Causa proxima est systematis totius, nervorum vel fibrarum muscularium debilitas summa.

DIAGNOSIS.

Articulorum spastica contractio, corporis formicatio cum agitatione convulsiva et do-

lore violentissimo periodico, et omnium symptomatum complexus facillime ab omni alio morbo raphaniam secernunt.

PROGNOSIS.

Delirium diu perdurans, mentis alienatio continua, viscera abdominalia a tono naturali dejecta; debilitas nervorum, voracitas, praecordiorum anxietas, tetanus et convulsiones, infausta sunt symptomata, quae, si aegrum non occidunt, morbum tamen diuturnum reddunt vel ejus reditum pronunciant. Spasmus, formicatio, vel convulsiones imminutae; dolor parum acutus; sudores profusi et exanthematis psorae similis eruptio; rigiditatis cessatio, mentis integritas et pulsus aequales, fausta sunt omina.

CURA.

Venae sectio summa cum cautela est peragenda, nam si non adest diathesis hypersthenica horrendas convulsiones excitat, evacuantia lenia et blanda, praesertim si saburrae gastricae aut vermium intestinalium signa adsint; valerianae infusum, se-

men santonici, assa foetida et alia remedia vermes expellentia; diluentia: si nausea, cordis anxietas et praecordiorum angustiae urgent, emetica mitia, praecipue radix ipecacuanhae. Si hyposthenicae diatheseos signa, nam raphania plerumque hyposthenicum est malum, stimulantia, primum mitiora dein volatilia ac fortiora et fixa; infusum serpentariae virginianae, tinctura castorei, cinchona, oleum animale, oleum succini rectificati, aether sulphuricus. Si convulsiones et formicationis sensus augentur, vel debilitatis signa indies crescunt, moschus, alcali volatile, et camphora; opiata; vesicatoria; frictio ad extremitates et ad spinam dorsi cum linimento volatili, vel cum spiritu vini camphorato; fomentationes aromaticae plurimum juvant. An electricitas et acidi nitrici fumigationes? Vitanda sunt frigus et animi pathemata, nam morbum revocare possunt; frumentorum, oleorum et fructuum ingerendorum diligentissima mundatio.

Rosen, Diss. de morbo spasmodico convulsivo epidem. 8.° Goth. 1749.
Sprengel, Oper. sup. cit. Tom. IV. §. 537-540.
Taube, Historia morbi spasmodici, convulsivi, qui 1770-171. regionem Cellensem etc. pervasit. 4.° Goetting. 1782.

VATER, De morbo spasmodico populari etc. 4.° Jenae 1793.
VOGEL AUGUST., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 493-496.
. . . . Diss. de raphania 4.° Upsal. 1763.
WOLFF, Diss. de morbo spasmodico, epidemico, maligno etc.

CAP. VIII. PALPITATIO.

CHARACTER.

Motus cordis vehemens, anxietas, praecordiorum gravitas ab aliquo cordis vitio vel absque vitio organico orta.

SYMPTOMATA.

Cordis palpitatio initio aliquando levis est. Cor intermisso uno vel altero pulsu, subito ictus vehementius iterat; eodem tempore aeger praecordiorum gravitate et anxietate premitur. Aucto vero morbo, cor frequentius vehementi systole et diastole diu concutitur; respiratio fit anxia; aeger suspiria ex imo pectore ducit; cor magna vi movetur, et costas ferit tanto momento, ut singulis ictibus has elevet ac ab adstantibus percipiatur pulsatio; carotides vehementer

pulsant, ut earum ictus intra cranium aeger sibi videatur sentire. Pulsus plerumque irregularis, intermittens, debilis, parvus aut fere nullus. Aliquandiu intermittit palpitatio praecipue sub quiete, vel quando in dextrum latus aeger jacet, brevi vero post, intermissione cessante, cor validius movetur, somnum abigit, vel somnia terrifica suggerit; miserrimus aeger vanis imminentium sibi periculorum terroribus subito excitatur, gravi praecordiorum anxietate opprimitur et nullam quietem amplius revocare potest. Saepe haec morbosa cordis palpitatio concitatur a quocunque fortiori corporis motu, exercitatione, ira, metu, et quibuslibet aliis animi affectibus, nonnunquam vero absque ulla causa externa revertitur. Sub palpitationis accessu animi anxietas seu inquietudo, manuum calor urens, lingua albo vel flavo muco obducta, appetitus depravatus, urina magis colorata et parcior, et sudor copiosior e facie et pectore fluens, aegrum vexant. A levissimis causis, ab omni aurae sibilo ejus animus afficitur, nec res praeteritas reminiscitur nec ad praesentes attendit et quadam mentis corporisque pigritia corripitur; quae omnia

vim morbi intendunt. Tandem palpitatio remittit, et aegrum viribus destitutum et debilem relinquit.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt anni tempus praecipue hiems; aetas, potissimum adolescens ante pubertatem; temperamentum sanguineum; vita ignava; exercitationes solitae intermissae; pervigilium; venus immodica; purgantium et hydargyri abusus; animi affectus praecipue moeror, sollicitudo etc. Causae excitantes sunt, quae sanguinis motum concitant vel inaequalem reddunt: ad primas referri possunt exercitationes vehementiores; nisus violenti; calor magnus; liquoris spirituosi ingurgitatio; sordes in ventriculo; animi perturbationes ut ira, furor, gaudium etc., haemorrhagiae suppressae; ulcera exsiccata; vermes sive in pericardio et in corde ipso; scabies et cutis morbi retropulsi. Ad secundas pertinent, cordis vel vasorum vicinorum vitia; vasorum et valvularum cordis ossificatio; tumores circa cor, vel vasa majora comprimentes; cordis vel aortae polypi; aneurysma-

ta ; arteriae vel plenitudine ventriculi , hydrope abdominis vel obesitate compressae ; thoracis coarctatio ; ligamenta nimis arcta ; uterus gravidus, aliaque quae sanguinis cursum inaequalem reddunt. Causam proximam cordis motus vasorumque majorem perturbationem ab aucta eorum vel imminuta actione ortam esse credimus .

PROGNOSIS .

Molestissimus et longus morbus est palpitatio ; si e vitio cordis vel vasorum majorum oritur , si causae eum producentes removeri haud possunt, lethalis est, nam aut repente aegrum jugulat , vel interdum gravissimos alios morbos , uti dispnoeam , tabem, haemoptysin, phthisim, hydropes, asthma et apoplexiam cardiacam gignere potest. Palpitatio symptomatica facile curari potest, amotis primum causis eam producentibus .

CURA.

Hujus affectionis medela a causis excitantibus quae evitari debent est petenda. Si aeger plethoricus sit , si abitualis san-

guinis profluvii, veluti haemorrhoidum, suppressio adest, si ictus cordis et arteriarum justo vehementiores et validiores sunt, quae omnia diathesim hypersthenicam esse demonstrant, venae sectio; cathartica lenia qualia magnesia, rheum; digitalis purpurea; diluentia; regimen antiphlogisticum; aeris frigidi intromissio; pediluvia. Si suppressio mensium in foeminis sit palpitationis causa, remedia ad menses eliciendos opportuna sunt adhibenda; si e vermibus oritur, anthelmintica, semen santonici, assa foetida, et alia quae vermes expellunt aut necant. Plerumque cordis palpitatio a diathesi hyposthenica pendet, tunc vero si a causis totum systema paulatim infirmantibus oritur, si arteriae languide et non aequis intervallis moventur, si summa anxietas, praecordiorum gravitas et sensus suffocationis eam comitantur, si pulsus debilis et intermittens, vel abdominis inflatio adest, remedia stimulantia sunt utenda, ex. gr. opium, aether sulphuricus, amara, radix columbo, cinchona, ferri praeparationes et alia. Diaeta levis sit et concoctu facilis, nam si nimium ventriculum onerat, palpitationem frequentiorem reddit. Vitanda sunt

omnia quae animum turbant, cor et arterias incitant vel eorum motus imbecilliores vel inaequales reddunt.

BALMANN, Diss. de debilium palpitatione. 8.° Edinb. 1798.
BURSERIUS, Oper. sup. cit. Tom. III. cap. X. §. 144.
MORGAGNI, De sed. et caus. morb. sup. cit. Lib. II. Epist. XXXIII.
SENAC, Traité sur le coeur. 4. Vol. 2. Paris 1777. vid. Tom. II. Lib. VI. cap. VIII. p. 461.
TESTA, Malattie del cuore sup. cit. Tom. II. part. II.
VOGEL AUG., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 523-529.

CAP. IX. CEPHALALGIA.

SYMPTOMATA.

Dolor cum tensionis, caloris ac frigoris sensu, superiorem potissimum capitis partem occupans, modo gravativus, tensivus, modo pulsans et terebrans; nonnunquam fixus est, et aliquando vagus; facies rubra; oculi micantes, et extra orbitam protuberantes; vertigo; pupillae contractio; lacrimarum calidarum ex iis fluxus; aurium tinnitus et aliquando dolor; dentium dolor; nausea vel vomendi conatus; decubitus in alterutrum latus impeditus. Cephalalgia ali-

quando febris intermittentis typum servat; et periodice recurrit.

Varia huic morbo dederunt nomina tam a forma, quam a morbi sede desumpta. Si capitis dolor sub forma acutioris morbi oritur, cephalalgia dicitur, si habitualis et diuturnus evadit, cephaleae nomen obtinuit. Dolorem, qui dimidiae capitis parti haeret *Haemicraniam* dixerunt; si vero in unica tantum parte, praecipue in occipitio, saevior dolor percipitur, *Clavus* appellatur. Hypersthenica et hyposthenica cephalalgia distingui meretur.

CAUSAE.

Causae remotae vel in capite vel extra caput existunt. Intra caput sunt, vasorum cerebri distentio, vel eorum major actio; nimia mentis exercitatio; somnus nimius; insolatio; aneurysma carotidis externae; tumores, qui venas jugulares comprimunt; animi affectus vehementiores, praecipue ira; ulcera, calculi, ossificatio, et aliae res, quae praeter naturam circa cerebrum, ejusques varias partes haerent; taenia hydatigena, impetigines, ulcera antiqua, tinea, et

herpes, quae caput externum occupant. Quae extra caput sunt, aer nimis calidus et frigidus, nec non siccus et humidus; corporis perspiratio suppressa; cibi nimis crudi, vel magna copia ingesti; nimia spirituosorum ingurgitatio; alvus adstricta; odores caput gravantes; coryza; epistaxis, haemorrhoides vel menstrua retropulsa; rheumatismus chronicus; hystericum et hypochondriacum malum.

PROGNOSIS.

Ex diversa morbi natura, et causis est prognosis petenda. Si a laesione organica cerebri pendeat; si dolor gravissimus et diu durans, vocis tarditate, vertigine, manuum torpore et pyrexia comitetur; si apoplexiae, epilepsiae vel convulsionum signa adsint, infaustum morbi eventum denunciant.

CURA.

In cephalalgia quae ex diathesi hypersthenica oritur, vel quae epistaxi, haemorrhoidum vel menstruorum suppressioni supervenit, venae sectio tam ex brachio

quam ex pede, etiam repetita; hyrudines ad tempora, retro aures, ad narium orificia vel ad occiput versus nucham; cucurbitulae cruentae dorso; laxantia ex manna, cremore tartari et rhabarbaro; digitalis purpurea; extractum aconiti; aquae aceto commixtae capiti applicatio; pediluvia; a cibo nimis nutriente et potu excitante abstineat aeger. Si saburrae gastricae signa adsint post venae sectionem, emetica. In cephalalgia hyposthenica methodus excitans est usurpanda, valeriana silvestris; ferri praeparationes; cascarilla; aether sulphuricus; moschus; ammonia succinata; rubefacentia et vesicantia capiti vel nuchae applicata; balneum tepidum; an electricitas? Si a causa syphilitica originem ducat, hydrargyri praeparationes, praecipue mercurius dulcis ad salivationem excitandam. In periodico capitis dolore, cinchona. An in pertinacissimo arsenici praeparationes?

Bellini, Oper. sup. cit. Tom. I. pag. 362. seq.
Bohn, De cephalalgia. 4.° Lips. 1680.
Burserius, Oper. sup. cit. Tom. IV. §. I. seq.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. IV. pag. 2.
Loeber, Diss. sistens haemicraniae etiologiam. 8.° Viennae 1786.
Ludwig, Inst. Medic. Clinic. 8.° Colon. 1787. pag. 523.

Oppermann, De haemicrania horologica. 4.° Halae 1747.
Tissot, Epistolae Medicae, 8.° Venet. 1774. p. 185.

CAP. X. ODONTALGIA, SEU DENTIUM DOLOR.

SYMPTOMATA.

Dolor acutus in uno vel pluribus dentibus; gingivae tumor, ac rubor; suppuratio; salivae fluxus; genae dolent ac tumament; pyrexia plus minusve gravis; masticatio impedita; oris alitus foetidus est, et os semper hians remanet; vigilia perpetua aegrum vexat; tinnitus aurium; oculorum dolor; facies tumida evadit, praecipue si glandulae colli intumescunt; anorexia vel cibi aversatio.

CAUSAE.

Hunc morbum excitant, aer humidus et nebulosus; gingivarum inflammatio; mensium obstructio; difficilis dentium eruptio in pueris; diathesis scorbutica, scrofu-

losa vel rachitica; alimenta acida vel nimis composita; immundities oris; dentium caries; graviditas et hysteria.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens, delirium, syncope, et convulsiones, infausta sunt symptomata. Nonnunquam in abscessum transit, ex quo ipsa dentis caries, vacillatio et fistula sunt timenda. Suppuratio aliquando dentium radices occupat.

CURA.

In odontalgia hypersthenica, venae sectio est adhibenda; hyrudines; cucurbitulae cruentae; cathartica lenia; diluentia. Si timetur suppuratio, emollientia cum lacte cocta in ore detineantur; cataplasmata externa. Dolor dentium hyposthenicus methodum excitantem requirit, cinchonam; opium; camphoram. Dentem carie correptum cera, plumbo vel auro replere oportet, vel oleum caryophyllorum, tinctura opiata et alia acria sunt in dentis cavo immittenda; iis nihil valentibus dentis evulsio dolorem

sedat ac vicinos dentes a carie praeservat. Si morbus a vitio rheumatico oritur radicis piretri vel tabaci masticatio, vel eorum fumus doloris levamen afferre possunt. Tandem odontalgia quae periodice recurrit et febris intermittentis naturam habet, cortice peruviano est fuganda.

Burserius, Inst. sup. cit. Tom. III. §. 352. seq.
Campani, Trattato sopra i denti. 8.° Firenze 1786.
Gariot, Traité des maladies de la bouche. 8.° Paris 1805.
Glaubrecht, Diss. de odontalgia. 8.° Argent. 1766.
Hoffmann, Oper. omn. Tom. II. Supp. I.
Hunter, Historia natur. dentium humanorum. 4.° Hagae 1780.
Ludwig, Inst. medic. clin. sup. cit. pag. 345. seq.
Piso Carol., Oper. sup. cit. pag. 43.
Sennertus, Oper. omn. sup. cit. Tom. II. pag. 264. seq.

CAP. XI. OTALGIA, SEU AURIUM DOLOR.

SYMPTOMATA.

Dolor auris intensus cum gravitatis et tensionis sensu, vel cum susurro et dolore capitis conjunctus; aliquando dolor dentes quoque et fauces in consensum trahit; py-

rexia nulla; oculi lacrimantes; coryza; salivatio continua; vomitus aquae purae, sive spontanei, sive tussi provocati.

CAUSAE.

Causae otalgiam producentes sunt corpora peregrina in aure haerentia; exostosis meatus auditorii; ulcera syphilitica in faucibus et praecipue in tuba Eustachiana; membranae aurem investientis affectio rheumatica; excretiones suppressae; dentium vel capitis morbi; sordes ventriculi, et intestinorum; vermes; cerumen inspissatum in meatu auditorio, hysteria et hypochondriasis.

PROGNOSIS.

Dolor nimis intensus, delirium, convulsiones, vigiliae, pyrexia apparens infausta sunt symptomata. Otalgia diuturnior vel nimis intensa in otitim facile transit, unde innumera oriri possunt mala. Dolor remittens vel paulatim decrescens, sanguinis e naribus fluxus, praecipue si suppressa epistaxis praecesserit, sudores profusi vel diarrhoea biliosa bona sunt signa. Quae ab auris internae vitiis pendet, raro curatur.

CURA.

Si ab haemorrhagia vel ab alio profluvio suppresso originem ducat, si diathesis hypersthenicae signa adsint, venae sectio; cucurbitulae scarificatae in occipite; diluentia; cathartica mitia; methodus antiphlogistica; cataplasmata ex pane recens cocto, cui semen foeniculi sit immixtum; cataplasmata emollientia ex farinis seminum vel herbarum emollientium parata. Insecta vel corpora peregrina in aure intrusa sunt extrahenda; si cerumen induratum otalgiam excitet, oportet prius emollire vel aqua simplici tepida aut sapone mixta vel oleo, deinde apto specillo caute est removendum. Si aurium dolor febri hyposthenicae succedit, vel summa virium debilitate conjungitur, methodus excitans est usurpanda; vesicatoria ad nucham vel juxta processus mastoideos; sacculi cum aromaticis, chamomilla, camphora et similibus parati applicentur; olei ex seminibus hyoscyami expressi aliquot guttae cum gossypio in aure externo immittantur. Otalgia periodica cinchona est fuganda.

Burserius, Inst. sup. cit. Tom. III. §. 344. seq.
De Haen, Praelect. Pathologicae 4.° Vol. 2. Colon. 1784. Vid. Tom. II. pag. 67.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Part. II. Supp. I. p. 297.
Ludwig, Oper. sup. cit. pag. 338.
Piso Carol., Oper. sup. cit. pag. 50.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 423.
Wilhelm, Diss. quae sistit casum otalgiae ex colluvia serosa. 4.° Argent. 1768.

CAP. XII. DYSPHAGIA, SEU DEGLUTITIO IMPEDITA.

CHARACTER.

Potestas deglutiendi vel ex toto abolita vel magnopere impedita.

SYMPTOMATA.

Initio morbi aeger levi tantum impedimento vexatur in transitu ciborum solidorum, deinde doloris sensum experitur, cum alimenta per oesophagum descendunt. Deglutitio vix absolvitur corpore antrorsum inclinato. Aucto morbo nec solida nec fluida substantia sine dolore deglutiri potest. Dum cibus in oesophago haeret, insignis anxietas oritur; flatuum eructatio, laticis in-

sipidi espuitio frequens et muci secretio haud parva gulae constrictionem solvunt; morbus remittit, sed paucis elapsis diebus iterum recurrit et saevior evadit. Corpus marcescit, vires fatiscunt et malum gravius redditur. Deglutitio impedita per menses ac annos perdurat, donec aeger tabe confectus mortalitatem expleat.

CAUSAE.

Praecipuae dysphagiae causae sunt, corpora extranea ingesta viam cibi per oesophagum impedientia; tumores partium vicinarum, qui pondere ac duritie oesophagi iter angustum reddunt, ut steatoma in mediastini inferioris cavo ortum, pulmonum induratio vel tubercula, abscessus inter oesophagum et tracheam natus, aneurysma arcus aortae, scirrhus pylori et sterni depressio; oesophagi inflammatio; tumor glandulae thyroideae, et tonsillarum; polypi narium in fauces pendentes; ulcera venerea; abscessus vel aphthae post febres hyposthenicas; venena ingesta, opium, arsenicum et alia; linguae paralysis; oesophagi vel pharyngis paralysis vel spastica contractio, prae-

cipue in hystericis, in hypochondriacis et in iis qui epilepsia aut aliis morbis convulsivis laborant.

DIAGNOSIS.

Variae hujus morbi species difficillime dignosci possunt, nisi causarum differentiae, morbi sedes, impedimenti et signorum natura accurate prius perpendantur. Dysphagia a spastica oesophagi contractione dignoscitur, ex facultate divorandi omnino suspensa, faucibus aridis et siccis, symptomatum inflammationis absentia, dolore cum constrictionis sensu sub illa pectoris parte, quae versus humerum sinistrum extenditur; potus frigidi dolorem intendunt; tepidi vero mitescunt; adsunt etiam aphonia, praecordiorum anxietas, ventris murmura, vomendi conatus, urina tenuis et cruda, laringis constrictio, et respiratio difficilis; haec spastica oesophagi constrictio mox inferiorem tantum partem, mox totum occupat canalem. Dysphagia a paralysi orta, doloris et constrictionis sensus absentia, signis praegressis apoplexiae vel linguae paralysis, alvo pertinaciter adstricta et impossibilitate

designandi locum, quo substantia deglutita remanet. In dysphagia quae a compressione vel a coarctatione oesophagi originem ducit; constans ciborum rigurgitatio, doloris exacerbatio in parte illa in qua ingesta detinentur, et exploratio, de morbi natura nos certiores reddere possunt,

PROGNOSIS.

Varius est hujus morbi eventus pro causarum varietate ac symptomatum diuturnitate. Deglutitio impedita spastica nonnunquam solvitur si adhuc recens sit, sed si diuturna, maximum imminet periculum, omnes enim cibum etiam mitissimum devorandi conatus gravissimas convulsiones excitant. In dysphagia, quae a rebus deglutitis et in oesophago haerentibus pendet, prognosis fausta est, quoniam vel ejici vel idoneis instrumentis extrhai possunt. Quae ex glandularum infarctu, ex scirrho vel aneurysmate nata, spem nullam sanationis relinquit, vitia enim talia leniri, raro autem radicitus removeri possunt. Pharyngis et oesophagi paralysis nunquam periculo vacat, timendum est ne cordis, pulmonum

et viscerum abdominalium resolutio superveniat.

CURA.

Si diathesis hypersthenicae signa adsint, si inflammatio enim, tensio et tumor oesophagi aegrum vexant, ut nullum solidum cibum sumere possit, venae sectio, et hyrudines collo applicatae, auxilium afferunt; juvant etiam hyrudines vel cucurbitulae cruentae ad partem thoracis posteriorem, prope spinam appositae; gargarismata emollientia, velut altheae decocta, et lini infusa; vapores tepidi in tracheam inalati, maxime valent; balnea tepida, et methodus antiphlogistica. Si inflammatione haud resoluta, suppuratio minitetur, cataplasmata emollientia. Si gangraenae adsint signa, gargarismata ex cinchona cum acidis juncta; opium; enemata nutrientia. In dysphagia quae a spastica contractione, vel ab oesophagi paralysi excitatur, plurimum juvant sic dicta antispasmodica, praecipue opium; valeriana; aether sulphuricus; quassia; malorum aurantiorum succus; cicuta et hyoscyamus externe adhibita et collo affricta; tinctura cantaridum; unguentum hydrargy-

ri: an electricitas? Deglutitione impedita, enematibus aeger nutriatur, vel tubo flexili alimenta fluida in ventriculum immittantur oportet. Si a veneno ingesto, emetica; si venena extrahi nequeant, lac, oleum, ovorum alba et alia mucilaginosa sunt danda, quae vel venena involvant vel suspensa detineant.

Burserius, Inst. sup. cit. Vol. IV. pag. 209. §. I.
Bleuland, Specim. academ. de difficili, aut impedita alimentorum depulsione. 4.° Lugd. Batav. 1780.
De Haen, De deglutitione laesa. 8.° Neapol. 1778.
Donatus Marcellus, De medica historia mirabili. 4.° Mant. 1586. Lib. III. cap. 5.
Groeff, Diss. de callosa excrescentia oesophagum ostruente etc. Altdorf. 1764.
Haller, Element. physiologiae. 4. Vol. X. Neapol. 1776. vid. Vol. VI. lib. XVIII. sect. 4.
Haas, Diss. quae sistit causas difficilis deglutitionis. 8.° Goect. 1781.
Molinelli, Vid. Acta inst. scient. Bononiens. Tom. V. part. II.
Monro, Diss. de dysphagia. 8.° Edinb. 1797.
Morgagni, Oper. sup. cit. epist. XXVIII. n. 14.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 429-434.

CAP. XIII. ASTHMA.

CHARACTER.

Spirandi difficultas per intervalla subiens cum angustiae in pectore sensu, et respi-

ratione sibilosa, strepente, tussi ab initio paroxysmi difficili vel nulla, in fine vero libera sputaque mucosa reddente.

Variae hujus morbi species a medicis recensentur. Sunt qui asthma in humidum et siccum, in periodicum et continuum, in illud quod a vitio locali vel quod ab universo systemate pendet, dividere solent, alii vero in acutum et chronicum.

CAP. XIV. ASTHMA ACUTUM, SIVE MILLARI.

SYMPTOMATA.

Morbus hic, qui pueros aggreditur, et raro vel nunquam adultos, uti catarrhus incipit cum pauca et levi tussi, quae cito augetur. Nocte plerumque ingruit sine prodromis. Subita pectoris gravitas cum strangulationis sensu aegrum corripit, summa praecordiorum anxietas, respiratio difficilis, laboriosa, sonora; e somno expergiscitur aeger ejulatum mittens cum voce rauca, profunda, saepe cum strepitu in pectore; costae et thorax quadam rigiditate corripiun-

tur ut vix elevari possint; pulsus deficit; vultus inflatur; turgent venae et livescunt; humoris viscidi excreatio, vomitus ciborum cum abdomine inflato; alvus adstringitur; urina pauca et aquosa. Peracto insultu omnia symptomata decrescunt; respiratio fit libera, pulsus regulares evadunt, et urina turbida redditur. Recurrit insultus priori vehementior post duodecim horas, symptomata ingravescunt, febris accedit; strangulatio imminet, vox magis rauca, respiratio admodum difficilis, sudor frigidus e pectore et capite erumpit, facies livida apparet, oculi hebetes fiunt, et infans delirio correptus inter convulsiones vitam amittit.

CAUSAE.

Causae excitantes sunt, subita caloris et frigoris vicissitudo, praecipue in vere et autumno; tempestas frigida et humida; aeris incumbentis pressio aucta. Morbus hic pueros corripit post absolutam lactationem usque ad decimum tertium aetatis annum: nonnunquam epidemice grassatur.

DIAGNOSIS.

Cum angina polyposa facillime confundi potest, attamen ad sequentia advertendo dignoscetur. In angina polyposa signa prodroma adsunt, asthma vero acutum repente plerumque invadit; dolor, febris, tussis et deglutiendi difficultas anginam comitantur, hoc vero sine febri, sine ulla tussi sed subito strangulationis sensu incipit.

CURA.

Huic tam atroci et acutissimo morbo cito est occurrendum; venae sectio nocet; assa foetida ore accepta vel per anum injecta, utillimum est remedium; moschus a grani dimidio ad unum omni secunda hora: peracto insultu in intermissione manifesta, cinchona, poligala seneka etc. Sub paroxysmi insultu aeger capite elevato teneatur oportet, ne suffocatione juguletur.

Dreissig, Traité de diagnostic medical sup. cit. pag. 210. seq.
Girtanner, Malatt. dei bamb. sup. cit. Tom. II. pag. 71.
Hufeland's, Journ. der prakt. Heilkunde, I. B. 1. st.

MILLAR, Observat. sur l'asthme et sur le croup. trad. de l'Anglais par Saintex. 8.° Paris 1808.
SPRENGEL, Oper. sup. cit. Tom. IV. §. 510.
VETRIE, De asthmate puerorum. 4.° Giesae 1726.

CAP. XV. ASTHMA ADULTORUM.

SYMPTOMATA.

Primus hujus morbi insultus repente aegrum adoritur. Vespere enim diei, qui paroxysmum praecedit, praecordiorum oppressio, plenitudinis et ponderis sensus, stupor insolitus, ventriculi inflatio, ructus frequens et insipidus accessionem annuntiant. Adveniente hora prima vel secunda matutina incipit paroxysmus cum angustiae in pectore sensu, spiritus aegre trahitur cum sibilo glottidis strepente et propensione ad tussim. Haec signa brevi ingravescunt, dispnoea adeo augetur, ut aeger aliquantum se attollere, imo e lecto surgere, ad erectam corporis posituram confugere, locumque aura frigida perflatum, in quo facilius spiritum trahat, petere cogatur. Diaphragma sursum ducitur, et sic rigescit ut aegerrime deprimi possit; costae elevari nequeunt ni-

si magno musculorum nisu; vox imbecillis efficitur et loquelae exercitium magis minusve injucundum est; anxietas summa et vomitio saeva superveniunt, quae vomitu rejiciuntur biliosa, vel viscida ac pituitosa sunt. Corporis extrema frigent, cor palpitat, oculi protruduntur, et aeger fixis oculis aspicit; sudor frigidus circa faciem et collum erumpit; vultus turgidus ac lividus fit; pallidus autem et minutus plerumque existit. Accessu perstante, arteriae imbecilliter moventur vel intermittunt; dolet caput; somnum aeger vix capere potest, modo vero sedens modo erectus vel in alterutrum latus, nunquam vero retrorsum, inclinatus remanet. Aurora adventante, symptomata paullatim remittunt, tussis quae sub paroxysmi initio difficilis erat vel nulla, libera, cum sputo muci saepe copioso evadit; respiratio fit libera; anxietas sensim decedit; vultus speciem naturalem induit; urina antea pallida rarius redditur, rubra est, et sedimentum deponit. Calore corporis sensim remittente, arteriae ordinate moventur, et aegrum paroxysmo defessum optatus obrepit somnus; sed per aliquot dies seu potius noctes advesperascente die

symptomata exacerbantur, donec diuturnitate multo mitiora facta, tardius redeunt vel penitus evanescunt. Asthma semel natum raro aut nunquam cessat, insultus per intervalla recurrunt, aeger enim paroxysmum passus per plures menses immunis remanet.

CAUSAE.

Causae remotae sunt tempestatum repentinae vicissitudines; atmosphaera humida, frigida, nebulosa; frigus; contentio vocis vehementior; animi affectus, uti ira, gaudium nimium, tristitia; meditatio intensa; nimia sanguinis jactura, alvi purgatio et vomitus vehementiores; evacuationes solitae ut haemorrhoidum fluxus et menstrua, suppressae; intemperantia; venus nimis culta; febres praecipue intermittentes; labes haereditaria. Causa proxima pendere videtur a spastica omnium respirationis musculorum, praesertim a laryngis contractione.

DIAGNOSIS.

Cum dyspnoea facile confunditur, attamen in hoc morbo respiratio ab initio usque

perpetua est cum repletione, infarctu, et sine angustiae in pectore sensu, tussi frequente, ac voce aspera stipata; in asthmate vero paroxysmus repente invadit, angustiae sensus in pectore vehementior est, respiratio difficilior facta sibilo ac strepitu particulari comitatur. Ab hydrothorace facile secerni potest, in hoc morbo respiratio valde est laboriosa, et cum palpitatione conjuncta aegrum e somno excitat; urina parva copia secernitur; decubitus difficilis est; pedum oedema, tandem corporis macies et aqua in pectore fluctuans hydrothoracem ab asthmate distinguunt. A peripneumonia asthma differt, quod in illa febris ab initio est acuta, calor, sitis major, urina minus aquosa, respiratio magis calens, quae omnia in asthmate praeter respirationem difficilem haud observantur.

PROGNOSIS.

Asthma per se, et quoad singulos accessus attinet, haud est morbus periculosus; sed ejus effectus, praecipuae si a labe haereditaria pendent, fere insanabiles sunt, serius enim aut ocius mortem afferunt. Aetas

juvenilis medici conatibus plurimum favet; saepe phthisi, hydrothorace, vel cordis aut vasorum majorum aneurysmate terminatur; respiratio abbreviata et brachiorum paralysis infausta sunt omina.

CURA.

In hujus morbi cura secundum diatheseos diversitatem, et causarum differentiam sub paroxysmo et extra paroxysmum incedendum est. In paroxysmo corpore erecto et in cubiculo amplo, ubi aer purissimus et frigidiusculus sit, aeger tenendus est; frictiones, pediluvia et maniluvia tepida multum prosunt. Si diathesis hypersthenicae signa adsunt, methodus antiphlogistica convenit. Quamquam enim rarissime asthma adultorum hypersthenicae sit naturae, attamen dantur exempla a medicis clarissimis relata. Si aeger robusto corporis habitu sit praeditus, si asthma mensibus, fluxui haemorrhoidum vel alio habituali profluvio superveniat, si pulsus sunt duri et pleni, venae sectio utilitatem certissime affert, sed summa cum cautela est adhibenda, nam si intempestive peragitur hydrothoracem inducere potest;

cathartica lenia; emetica uti radix ipecacuanhae, tartarus emeticus refracta dosi, antimonialia, qualia sunt sulphur auratum antimonii, kermes minerale; assa foetida; scillae praeparationes; enemata emollientia; balneum tepidum; an digitalis purpurea? Si a totius systematis debilitate pendeat, remedia excitantia sunt usurpanda; moschus, a grano uno omni bihorio datus; aether sulphuricus; spiritus nitri dulcis; tinctura castorei; infusum valerianae silvestris cum aethere sulphurico; opium, primum certe locum tenit; vaporum aquae calidae inhalatio; an aeris vitalis dephlogisticati inspiratio? Asthma periodicum vel cum febri intermittente recurrens cinchona est oppugnandum; an infusum saturatum coffeae? Si ab exanthemate vel ab alio cutis morbo retropulso oriatur, vesicatoria, fonticuli inter scapulas vel utrique brachio. Reditui obviam itur, loci vel climatis mutatione, cibo nutriente, blando et ab omni flatulentia immuni; exercitatione et causarum excitantium evitatione.

Araeteus, Oper. sup cit. morb. diutur. Lib. I. pag. 119 et 203.

Baglivi, Opera omnia. 4.° supra citata Lib. I. cap. 9.

Floyer, Traité sur l'asthme. 12. Paris 1785.
Galeatius, In actis instit. scient. Bononiensis Tom. V. p. I. pag. 71.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. V. consult. cent. I. n. 83. seq.
Meyer, De asthmate ejusque speciebus. 4.° Gotting. 1779.
Millar, Oper. sup. cit.
Piso Carol., De colluvie serosa sup. cit. sect. III.
Witers, Treatise on the asthma. 8.° Lond. 1786.

CAP. XVI. PERTUSSIS.

CHARACTER.

Morbus contagiosus; tussis convulsiva, strangulans cum inspiratione sonora (vulgari nomine *tosse asinina* insignita), iterata, paroxysmo, muci quantitate e pulmonibus, faucibus et naribus, rejecta; finito, et per intervalla admodum variantia, iterum renovato, pyrexia nonnunquam comitante.

SYMPTOMATA.

Initio catarrhi signa adsunt; dolor capitis obtusus, sternutatio, coryza, faciei rubor, gravedo, oculorum lippitudo, vox

est rauca, tussis crebra et sicca, appetitus prostratus, somnus turbatus, et febris mitis. Quae omnia in primo hujus morbi stadio per unam vel duas septimanas durant. Tussis denuo apparet ad intervalla recurrens; aegri antequam tussi corripiantur titillationis quemdam sensum in larynge percipiunt, formicationem aliquam in fronte, cervicis dolorem, ponderis sensum vel ventriculi oppressionem habent; ad parentes confugiunt, objecta corpora firmiter tenent, manibus corpus suffulciunt, aut summa anxietate pedibus terram quatiunt, et tussim reprimere conantur. Hac vero correpti, fere suffocantur, facies tumida et livida videtur; oculi sunt prominentes; venae turgidae, vel sanguinem a naribus aut oculis effundunt; universum corpus contremiscit. Tussis succussionibus intercisa expirationem comitatur, donec omni aere pulmo liberetur, et inspiratio frustra prius tentata sibilum, strepitum aut sonum peculiarem voci asininae vel cani latranti similem reddit. Interdum pulsus intermittentes vel tremuli sunt; urina, inscio aegro, mittitur; ingesta evomuntur; sudor e toto corpore erumpit; tussi demum ejicitur mucus tenax, in

fila ductilis ex bronchiis eductus aut cum cibis per vomitum excussus. Terminato paroxysmo mortuis similes vel resoluti remanent per aliquot tempus, mox ad ludum interruptum redeunt et cibum capiunt. Paroxysmus recurrit praecipue post aliquod cibi vitium, post frigus susceptum aut graviora animi pathemata. Nonnunquam tertianae typum servat, ideo a nonnullis amphimerina tussis nuncupatur. Pertussis per quindecim aut viginti fere dies perdurat vel per menses moratur.

CAUSAE.

Contagium. Populariter grassatur praesertim verno aut autumnali tempore, cum morbillis et catarrho aliquando conjungitur. Infantes inter tertium et decimum aetatis annum, rarius lactantes invadit.

DIAGNOSIS.

A cinanche tracheali distinguitur, nam haec acutum efficit morbum, dolore continuo et urente in larynge comitatur, et vocem clangosam, galli cantui similem, tus-

simque continuam refert; in pertussi verò nullus fere dolor sed tantum titillationis sensus in larynge percipitur, vox acuta asininam aemulat et morbum sistit chronicum. Differt ab asthmate acuto Millari, nam hoc citius cursum persolvit ac pertussis, sporacide grassatur, vocem refert profundam, et tussi ac vomitu caret.

PROGNOSIS.

Infantibus duobus annis minoribus gravior est morbus; respiratio valde difficilis; pyrexia acuta praecipue si signis peripneumoniae fuerit conjuncta, morbus saepius recurrens, et vires debilitans maxime in infantibus rachiticis aut aliis morbis diu laxatis, infaustae sunt notae; dentitioni superveniens majora minatur pericula: expectoratio modica; cibi appetentia nunquam prostrata sed post vomitum renovata; exanthemata pustulosa ad labia, vel miliaria cum sudoribus calidis; pulsus molles, regulares et epistaxis mitis fausta sunt omina. Ex hoc morbo, si haud imminent vitae pericula, effectus attamen tristes subsequuntur. Diu enim persistens pallidum colorem,

et faciem tumidam inducit, vires prosternit, et in haemoptysim, pectoris inflammationem, ac in pulmonúm tabem desinit. Nec rara sunt exempla herniae abdominalis, cordis et vasorum majorum vitiorum, dyspnoeae et rachitidis evolutionis post pertussim diuturnam; imo etiam encephali nonnunquam perturbatur actio ut puer memoriam amittat, et amaurosi, epilepsia, apoplexia, vel fatuitate corripiatur.

CURA.

Sanguinis missio aut generalis aut localis, si diathesis hypersthenicae signa, si dispnoea vel febris urgeat, praecipue in pueris robustis, bene nutritis, cum pulsu forti et duro; emetica ad plenam vomitionem nauseamque ciendum, praesertim ipecacuanha; oximel squilliticum; methodus antiphlogistica; balneum tepidum; vapores aquae calidae in pulmones accepti; assa foetida; extractum conii maculati; flores zinci; digitalis purpurea; solutio arsenici Fowleriana; sulphur auratum antimonii; hyoscyami extractum; atropa Belladonna; an barites muriata? purgantia lenia; vesicato-

ria thoraci admota. Si vero puer debilis sit et hyposthenicae diathesis signa apparent, remedia excitantia, potissimum sic dicta antispasmodica, ut opium, moschus, castoreum, oleum succini; sed prae omnibus tinctura cantharidis ad lenem dysuriam inducendam. Si morbus intermittentis febris typum servat, cinchona, valeriana silvestris. Durante morbo alvus leniter soluta foret reddita, et si phthiseos timor adsit lichenis islandici decoctum, aeris mutatio, et poligalae senekae infusum sunt adhibenda.

Acta Reg. societ. med. Hafn. Tom. I. n. 24.
Armstrong, Malattie dei bambini. 8.° Milano 1792.
Burserius, Inst. sup. cit. Tom. IV. cap. I. §. 4. et seq.
Girtanner, Malattie dei bambini sup. cit. Tom. II. pag. 52.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Supp. II. Part. II. pag. 245.
Home, Principia medicinae sup. cit. pag. 221.
Henderson, Diss. de pertussi. 8.° Edinb. 1798.
Rosenstein, Malatt. dei bambini sup. cit. p. 242. seq.
Sydenham, Oper. omn. sup. cit. Tom. I. pag. 121.
Wood, Diss. de pertussi. 8.° Edinb. 1790.

CAP. XVII. CARDIALGIA.

CHARACTER.

Epigastrii dolor urens, continuus, cum ardoris et acoris acerrimi sensu et copia humoris aquei insipidi conjunctus, qui animi deliquium infert. Si accedunt ructus acidi, et vomitus humoris acidi dolorem levantes, *Pyrosis* dicitur.

SYMPTOMATA.

Ardoris aut contractionis sensus in regione ventriculi, praecipue circa cordis scrobiculum; respiratio difficilis est; corporis antrorsum flexio; facies pallida et frigida; nonnunquam cordis palpitatio; oesophagi constrictio; pulsus parvi et exiles; urina limpida et aquea, aliquando suppressa; ventriculi retractio et extremorum frigus, tandem syncope. Paroxysmo peracto, sanguinis fluxu aut vomitu morbus solvitur.

CAUSAE.

Venena et acria ingesta: purgantia drastica; emetica, ingluvies, substantiae aci-

dae, rancidae vel pinguis ingestio; frigus extremis admotum; animi pathemata violenta; cartilaginis scutiformis intrusio, scirrhus ad pylorum, ventriculi ulcera, hernia vel nimia extensio hunc excitant morbum. Cardialgia hypersthenica oriri potest a suppressa perspiratione, et ab exanthemate repercusso, vel in primis graviditatis mensibus. Hyposthenica vero, quae frequentius recurrit, arthritide atonica, hysteria, hypochondriasi, chlorosi et ventriculi debilitate per studia nimia contracta conjungitur.

PROGNOSIS.

Diversissima fere est pro causarum natura et morbi vi. Si causae cardialgiam producentes amoveri possunt, si a saburra gastrica pendet, vel a stimulo contagii variolosi oritur, sublata saburra vel erumpentibus variolis, fauste solvitur. Quae vero a vitio organico ventriculi originem habet aut serius aut ocius lethalis est. Nonnunquam febri intermittente conjungitur, quae gravi cardialgia, summa anxietate, animi deliquio et convulsionibus paroxysmum absolvit; haec cardialgiae species periculi

plena, post aliquot enim accessus lethalis est, nisi cito succurratur aeger.

CURA.

In cardialgia hypersthenica, quae juvenes plethoricos, robustos, liquoribus spirituosis deditos aggreditur, et signa gastritidis praebet, venae sectio; hyrudines ad utrumque nasi foramen; methodus antiphlogistica; mucilaginosa praecipue danda sunt. Si diathesis hyposthenicae signa adsint stimulantia, sed caute sunt administranda, nam ventriculum morbo laborantem laedere possunt; opium; aether sulphuricus; vinum; aqua menthae; cinchona vel sola vel vino generoso commixta; vesicantia: si ab ingluvie oritur, emetica: si pyrosis signa apparent et ructus acidi accedunt, absorbentia, remedia alcalina et amara; an nux vomica? Cardialgia quae febres perniciosas intermittentes comitatur, cinchona et aliis remediis aliubi memoratis est oppugnanda.

Alberti, Diss. de colica ventriculi. 4.° Halae 1735.
Ballonius, Oper. omn. sup. cit. cons. I. et III.
Camerarius, Diss. hystoriam cardialgiae sistens. 8.° Tubingae 1788.

Commerc. liter. Noricum. 1733. pag. 207., et 1741. pag. 69.
Glass, Diss. sistens cardialgiae hystoriam etc. 4. Halae 1790.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. Tom. III. Sect. II.
Spics, De doloribus ventriculi. 4. Helmst. 1729.
Trnka, hystoria cardialgiae. 8. Viennae 1785.
Zacutus Lusit., Med. pr. hist. Tom. I. lib. II. hist. 60.

CAP. XVIII. COLICA.

CHARACTER.

Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum, torquens; vomitus; alvus adstricta.

SYMPTOMATA.

Hic morbus plerumque incipit appetitus defectu, alvo adstricta, praecordiorum gravitate, et vomitu. Dolor circa umbilicum usque ad hypochondria extenditur, modo est continuus, modo vero per intervalla remittens, vel vagus nec admodum lancinans. Eodem tempore venter inflatur, et musculis sese inaequaliter contrahentibus, umbilicus et partes vicinae, introrsum sic retrahuntur, ut externum abdomen, hic

concavum, illic convexum appareat, et ejus musculi spastice contracti, plurima quasi tubercula ad tactum sacci pomis referti instar, efficiunt. Vomitus quo aeger non solum aliquando rejicit contenta ventriculi, sed etiam sic duodenum deplet, ut in iis, quae vomitu rejiciuntur, multum bilis saepe conspiciatur; vomitio et singultus vices alternant; alvus adstricta est; in parte dolore affecta, vehemens fit inflatio. Pulsus duri, concitati, irregulares; respiratio difficilis; praecordiorum anxietas; ructus flatusque emittendi conamen inane; cor vehementer palpitat; facies pallida; frigent extrema; urina supprimitur. Si morbus gravior est, adsunt singultus, tussis convulsiva, faucium constrictio, ventris tensio, animi deliquia et convulsiones. Quando peristalticus intestinorum motus invertitur, *ileus* appellatur.

Diversas hujus morbi species enumerant medici, quae a causarum, eas producentium, varietate pendent. Ita colica flatulenta, stercoracea, verminosa, inflammatoria, et saturnina dicitur, prout flatibus, sordibus in intestinis, vermibus, plethora abdominali, vel oxidis plumbi ingestis excitetur;

A recentioribus in hypersthenicam et in hyposthenicam dividitur. Earum symptomata ab aliis colicae speciebus haud differunt, sed diagnosis ab aegri dispositione, et causarum natura est desumenda.

CAUSAE.

Causae remotae sunt frigus inferioribus maxime membris admotum; diaeta vel parca nimis vel parum nutriens; faeces induratae; bilis acris; concretiones calcareae; venena in corpus recepta; flatus, vel variae aeris species in intestinis evolutae; hernia incarcerata; spinalis medulla, unde nascuntur nervi, vertebris contusis, fractis, luxatis vel quavis alia causa, laesa; meconium infantum recens natorum in intestinis remorans; fructus acerbi vel immaturi, aut nimis oleosi; cibi duri, tenaces, ut caseus et carnes fumo induratae; vermes; nuclei cerasorum, prunorum; ossicula deglutita vel alia corpora extranea. Diaeta lautior, vini vel liquorum spirituosorum abusus, haemorrhoidum suppressio et exercitatio nimia in homine robusto et plethorico colicam hypersthenicam inducere possunt. Vita

sedentaria ignava, hysteria, hypochondriasis, exinanitiones magnae, animus diu demissus, longa insomnia, maxima lucubratio, veneris abusus, et nimia caloris vis diu corpori admota, vel summa intestinorum debilitas hyposthenicae colicae sunt causae excitantes. Causa proxima esse videtur nimia alicujus intestinorum partis actio, contractio aut distentio, vel summa ejusdem debilitas.

DIAGNOSIS.

Dolores colici ab aliis viscerum abdominalium affectibus sunt distinguendi. A peritonitide distinguuntur, in hoc enim morbo dolor magis superficialis est, magis fixus ut neque levissimum attactum ferat, calor ad partem affectam augetur, corporis erectio vel incurvatio ad anteriora difficilis est, quae omnia diversa sunt in doloribus colicis, nam dolor sub incurvatione mitigatur. A cardialgia facile discernitur dolor colicus, in illa dolor ad epigastrium percipitur, ad spinam dorsi extenditur, ructu ac vomitu lenitur. Difficile profecto est colicos dolores ab enteritide dignoscere, praecipue

phlegmonoidea, communia habent symptomata; attamen enteritis gravior morbus est et ab initio usque pyrexia stipatur. Ab hepatitide et nephritide signis aliubi recensitis et febris absentia. A dysenteria frequenti dejiciendi cupiditate et dolore in ano cognosci potest; interdum in hoc malo ex intestinis modo cruor manat, modo quaedam quasi mucosa vel carnosa excernuntur.

PROGNOSIS.

De hujus morbi eventu judicandum est secundum causas, quae eum concitaverint et signa, quibus notetur. Colica stercoracea mitior est et remediis facile cedit. Dolor migrans sensimque cessans, menstruorum vel fluxus haemorrhoidalis restitutio, et alvus catharticis respondens fausta sunt signa. Colica quae ex intestinorum inflammatione pendet, est periculi plena, facillime enim in iliacam passionem, in gangraenam vel in hydropem acutum terminatur. Hoc in casu dolor fixus, violentus, vel eo subito cessante, alvus pertinaciter adstricta, singultus, delirium, febris acuta, vomitus stercoraceus, meteorismus, animi deliquia et

convulsiones, infaustae sunt notae. Colica flatulenta si non solvitur, in tympanitim transit.

CURA.

Venae sectio, si adsit diathesis hypersthenica secundum pulsus status et aegri vires repetita. Cave attamen ne a pulsus fallacia decipiaris, saepe enim sub forti intestinorum dolore parvus, contractus habetur, et post sanguinis missionem durus et plenus evadit; si menstruorum vel haemorrhoidum suppressio sit morbi causa, hyrudines ad anum vel circa genitalia sunt applicandae; demulcentia et mucilaginosa; abdominis fomenta, vel vesicae aqua calida refertae abdomini admotae; semicupium; enemata emollientia. Colica saburralis clysteres emollientes, cataplasmata etiam emollientia, et remedia mitiora, quae ad alvum subducendam valeant, initio requirit; cathartica lenia ut natron vitriolatum, tartari cristalli, sennae infusum, oleum ricini, et iis nihil valentibus, jalapium, calomelas vel colocynthis; enemata primum lenia, postea ex terebenthina, fumis vel infuso nicotianae parata: si vermes adsint, anthelmin-

tica; oleosa; eccoprotica cum sale amaro et semine santonici epicratice; enemata ex lacte. In colica hyposthenica remedia excitantia caute sunt adhibenda, ne nimia intestinorum irritatio excitetur; aquae menthae vel melissae, aut foeniculi; infusum florum chamomillae cum liquore anodino Hoffmanni, vel aethere sulphurico; sed praepollet omnibus aliis opium; exhiberi potest vel parva dosi sub forma pilulae, vel tincturae opiatae guttae decem aut quindecim cum syrupo citri sunt dandae; interdum enemata ex infuso chamomillae parata; fomentationes aromaticae aut rubefacientia abdomini. Remediis incassum tentatis si ilei signa apparent, aqua frigida nudis femoribus est effundenda, vel hydrargyrus ore est dandus, vel aqua calida larga manu in anum est immittenda. Sed omnia haec remedia haud semper juvant, aliquando vero periculi plena sunt et pessimos inducunt effectus.

De Haen, Rat. med. sup. cit. Tom. I. Part. II. Cap. V. pag. 117. seq.
Morgagni, De sed. et caus. morb. sup. cit. Tom. II. Epist. XXXV. num. 2.
Sauvages, Nosolog. method. sup. cit. Tom. II. pag. 54.
Simmerling, Diss. de colica ejusque speciebus. 8.° Goetting. 1778.

STOLL, Praelect. sup. cit. Tom. I. pag. 187.
WAN-SWIETEN, Commeut. sup. cit. Tom. III. §. 961.

CAP. XIX. COLICA PICTONUM.

CHARACTER.

Colica, praeunte ponderis vel molestiae in abdomine, praecipue circa umbilicum, sensu; accedente dolore colico, primum levi, non continuo, et praecipue post pastum aucto, tandem graviore et fere perpetuo; cum dolore brachiorum, et dorsi, in paralysin demum abeunte.

SYMPTOMATA.

Hujus atrocissimi morbi symptomata modo improviso violenter invadunt, modo autem prodroma signa antecedunt; ponderis aut doloris sensus in scrobiculo cordis, facies pallida et cadaverosa, oculorum torpor, inquietudo, cibi fastidium, animus insigniter demissus, ructus frequens et nausea sunt signa quae hanc colicae speciem praecedunt. Epigastrii dolor sensim intenditur,

praecipue post assumptum cibum et brevi gravis fit et perpetuus, superveniente ictero. Primo, secundo vel tertio morbi die vomendi nisui vomitus succedit frequens bilis, coloris nunc subflavi, nunc nigri et adeo acris, ut fauces rodat. Dolor sedem habet plerumque in cordis scrobiculo, et frequenter ad umbilicum descendit; vel ex uno in altero latere tanto impetu transvolat, ut aegro quasi per corporis medium secari videatur; modo remittit, sed duabus, vel tribus circiter horis elapsis cum saevitie redit, et aegrum sensu intestinorum quasi constrictorum, et sursum ab ano, et deorsum simul a pyloro ad umbilicum tractorum, afficit; retractio testiculi et dolor ad scrotum, inguina, femora et crura superveniunt; abdominis musculi quasi nodis referti, duri et immobiles videntur; nonnunquam dorsi musculi, versus spinam retracti cum abdominis visceribus, quamlibet pressionem ferunt sine dolore: in saeviori morbo, abdomen spinam versus retrahitur, et alia intestinorum pars ampliata, alia contracta invenitur. Alvus pertinaciter est adstricta, ischuria, modo stranguria; arteriarum pulsus duri, contracti et exiles; lingua mo-

do albida, modo flava et subviridis; urina pallida vel sedimentum album deponit; imus venter torminibus afficitur; anima foetida est. Iis omnibus perstantibus, paralysis artuum plerumque superiorum et musculorum omnium voluntati inservientium, supervenit; manus versus ulnas incurvantur; artus inferiores aliquando etiam paralytici evadunt; aeger pallidus, squallidus et macilentus conspicitur; vox clangosa est et strepens; oculorum caligo, surditas et hydrops apparent, et infelix convulsionibus tandem vel apoplexia abripitur.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, venena diversa, uti cuprum, antimonium, argentum, arsenicum etc., sed praecipue hujus morbi causa plumbum est. Qui plumbum ex terrae visceribus effodiunt, vel metallum crudum ad formam metallicam reducunt; diversa ejus oxida conficiunt, vel artem exercent in quibus plumbum et ejus praeparationes adhibentur, quales sunt figuli vitrarii, pictores, pharmacopolae, frequentius huic morbo sunt expositi.

Hoc morbo etiam periclitantur, qui vasis stanneis plumbi portionem continentibus, vasis figulinis plumbo obductis, vel aquis per canales plumbeos fluentibus utuntur. Quomodocunque plumbum in corpus sive per ventriculum aut per pulmones recipiatur, hunc atrocissimum excitat morbum. Causa proxima obscurior est, sed in intestinorum actione vel facultate sentiendi imminuta consistere videtur.

DIAGNOSIS.

A colica vulgari dignoscitur, abdominis dolore haud plurimum intenso, morbi initio, invadente, sed paullatim ingravescente et in profundiore umbilici parte saeviente; alvo pertinaciter adstricta; peculiari aegrotantis facie, et pulsu duro, tenso et contracto.

PROGNOSIS.

Si dolor, vomitus, et alvi astrictio pertinaciter durant; si paralysis musculorum, tabes, abdominis tumor ac tensio, graviora sunt; si pulsus sunt intermittentes et vires labescunt, infausta sunt notae.

Cadaverum sectiones intestina mirum in modum contracta vel dilatata, multo sanguine turgida, maculis numerosis, lividis, nigricantibus obsita, flaccida et facile lacerranda ostendunt. Accidit etiam ut ventriculi partes et alia viscera abdominalia plus minusve affecta videantur. Hepar enim et pancreas tumoribus aliquando laborant; vesica bilis humore nigro et viscido distenditur; omentum gangraena corripitur.

CURA.

In hujus morbi cura, quem hyposthenicae indolis signa supra memorata et experientia declarant, venaesectio summo periculo stipatur, sed opium est primum et praestantissimum remedium. Opii quantitas danda ex morbi intensitate et symptomatum violentia; si morbus recens est et signa sunt mitiora, a parvis dosibus opii cum mucilagine arabica vel mixtura oleosa est incipiendum. Morbo autem inveterato, si vomitus et tormina nimis urgeant, opium libere est administrandum; enemata emollientia cum guttis quinquaginta vel sexaginta tincturae opii sunt injicienda, donec do-

lores colici et vomitus cesserint. Juvant etiam cathartica lenia modo memorata, praecipue oleum ricini; praeparationes hydrargyri tali quantitate datae, opio conjunctae, ad lenem salivationem ciendam; balnea tepida; fomentationes aromaticae abdomini; vesicatoria abdomini imposita, haud parum levaminis afferunt. Colica sublata, si alvus est pertinaciter adstricta, purgantia lenia; sulphur; sulphas potassae; aluminis grana duodecim cum gummi arabico conjuncta quinta vel sexta quaque hora. Morbo diuturno et in paralysin abeunti, methodus in cura paralysis descripta est applicanda.

Acta Reg. Societ. Med. Havn. Vol. I. p. 287.
Cambalousier, De colica pictonum. 8.° Paris 1701.
Citesius, Diatribe de novo et populari dolore apud pictones etc. 4.° 1639.
Grashuys, Tentamen de colica pictonum. 8.°
De Haen, Oper. sup. cit. Vol. I. Pars III. pag. 234.
Huxam, Oper. sup. cit. p. 54.
Ludwig, Diss. de colica saturnina. 8.° Lips. 1800.
Tourrach, Diss. de colica pictonum. 8.° Herb. 1776.
Tronchin, De colica pictonum. 8.° Genevae 1771.

CAP. XX. HEPATALGIA SEU COLICA HEPATICA.

SYMPTOMATA.

Dolor valde acutus vel obtusus in hypochondrio dextro, ad intestina, potissimum versus umbilicum protensus, saepius dolores nephriticos aemulans, ac per intervalla remittens; ponderis sensus, praesertim post cibum assumptum; intestinorum tormina; sitis ingens; praecordiorum anxietas, et interna inexplicabilis molestia; alvus pertinaciter astricta, vel quae dejiciuntur dura sunt et grysea vel argillacea; urina solito saturatior et fere rubra demittitur; color ictericus modo in oculis vel in urinis conspicitur, modo vero nullum adest icteri signum per totum morbi decursum. Colica hepatica sponte aliquando remittit, nec per plures menses amplius aegrum vexat, redit subinde atrocior, et si vehementius corripit febri comitari solet et inflammationis signa apparent. Quilibet vero paroxysmus per duos tresve dies durat, tunc cessant dolor, praecordiorum anxietas et hypochon-

drii oppressio, ita ut aeger se sanum esse credat :

CAUSAE.

Calculi biliarii in cysti fellea, in ductu choledocho vel hepatico haerentes; bilis nimis densae grumi in ductu choledocho; quaecunque eundem ductum occludentia; bilis nimis acris. Non omnes calculi biliarii, qui in cysti fellea, ductu epatico vel choledocho sunt, hepatalgiam excitare valent, sed ii tantum qui pondere aut figura nimis scabra cystim distendunt ac distrahunt, vel quando in ductum choledochum, vel cysticum ingressi ibi non solum haerent, irritant et claudunt. Adultos hic morbus et aetate provectos, raro adolescentes et pueros aggreditur; praecipue qui temperamento melancholico sunt praediti vel hypochondriasi laborant, magis afficiuntur.

DIAGNOSIS.

Difficilis est hujus morbi diagnosis, nulla enim signa pathognomonica existentiam calculorum in cysti fellea vel in ductu choledocho ostendere possunt. Omnia sympto-

mata, quae a medicis colicae hepaticae tribuuntur, quamplurimis aliis vitiis communia sunt.

PROGNOSIS.

Si colica hepatica diuturna est, et senes vexat; si adsunt viscerum vitia organica; si febris vehemens et apoplexiae signa superveniunt, eventus est anceps.

CURA.

Si diathesis hypersthenicae signa et dolor acerbissimus urgeant, si aeger plethoricus sit aut vehemens pyrexia excitetur; venae sectio; hyrudines; balnea tepida; semicupium; oleosa, et diluentia; clysmata emollientia; fotus et cataplasmata ad hypochondrium dextrum apposita. Extra paroxysmum juvant potissimum aether sulphuricus; alkool cum spiritu terebinthinae commixtus; extractum atropo belladonnae; aquae minerales; frictio lenis in regione hepatis; diaeta tenuis sit ex vegetabilibus composita.

Burserius, Inst. sup. cit. Tom. IV. §. 165. seq.
Durand, Vid. mem. de l'Acad. Roy. de medic. Tom. I. p. 288.

Oper. omn. sup. cit. Supp. II. pag. 344.
Oper. sup. cit. epist. XXVII.
Vid. comment. med. Lipsiens. 4.° Tom.
. 232.

CAP. XXI. HYSTERIA.

CHARACTER.

Ventris murmura et inflatio, sensus globi in abdomine revolventis, ad ventriculum ac fauces ascendentis, ibique strangulantis, sopor, convulsio, urina limpida, copiosa; animus sponte varius et mutabilis.

SYMPTOMATA.

A languore, debilitate totius corporis, oscitatione, pandiculatione, et inquietudine incipere solet. Morbum accedentem extremitatum frigoris sensus semper praecedit, qui per totum paroxysmi decursum perdurat, frigoris calor succedit et in diversi corporis partibus invicem se excipiunt. Vultus modo pallescit, modo valde ruber evadit, vel rubor pallorque alternatim apparent; dolet caput; oculorum caligo et lacrimatio.

Murmura tandem per totum ventrem sese diffundunt; intestina inflantur et globus quasi in parte abdominis inferiore se volvens, ad ventriculum per totum canalem intestinorum usque ad fauces ascendit, strangulationis sensum excitat, ac anxietate, nausea et vomitu comitatur; partes abdominis, cum externae, tum internae, dolore gravissimo corripiuntur; musculi torquentur; umbilicus introrsum trahitur, et ventris contractio saepe tanta est, ut, ob eandem nec flatus descendere, nec liquores in alvum immitti possint. Tot tantisque malis aegrae correptae pectus manu violenter plangunt; lacrimantes ridentesque vicissim sunt; modo immobiles et sopore obrectae jacent, modo membra universa convulsionibus agitata torquentur et gravissime distenduntur. Haec omnia in diversis aegris varie accedunt, in nonnullis enim, catalepticorum instar, corpus rigescit; in aliis dolor capitis gravis, clavum mentiens, vexat et excruciat; sunt quibus cor palpitat, pulsus duri et inaequales sunt et respiratio intercipitur; dolor nonnunquam gravis, nephritico similis, lumbos, dorsum, renes et vesicam invadit, vel animus ex toto demissus contristatur, metu

mortis proximae constanter afficitur, aut valde mutabilis tranquillitatem et quietem amittit. Remittente tandem paroxysmo, pulsus antea parvi ac debiles, molliores et pleniores evadunt; flatus per ructum e ventriculo expellitur; aegrotae crebris suspiriis ex imo pectore tractis, quasi e somno excitatae, vocem, sensum, motumque recuperant, urinae limpidae copia profusa saepe praecedente, animo nec sponte vario et mutabili. Proteiformis hic morbus tot modis invadit, tot in formas se vertit, ut omnium morborum species prae se ferat.

CAUSAE.

Causae remotae sunt omnia, quae systematis nervosi mobilitatem augent; constitutio corporis mollis; cutis levis et tenuis, ut per eam vasa sanguinea facile videantur; animi mobilitas summa; vita sedentaria, ignava; nimia liquorum spirituosorum ingurgitatio; menstruorum proxima eruptio; affectus animi graviores, praecipue amor, ira, odium, gaudium; odores, ut moschi, ambrae etc.; viscerum abdominalium vitia; theae, et diaetae lautioris usus immodicus;

evacuationes variae vel suppressae vel nimis profusae; corporis defatigatio insolita; pervigilium; calor externus; educatio mollis et nimis delicata; morbi validi praegressi, et varii uteri affectus. Causa proxima adhuc obscura, sed ab affectione uteri spastica pendere videtur.

DIAGNOSIS.

Ab epilepsia, urinae limpidae copia profusa paroxysmum praecedente, globo hysterico et mortis metu, dignoscetur. A syncope facie rubra et tumida, pulsuum praesentia, paroxysmo diutius manente et motibus convulsivis discerni potest.

PROGNOSIS.

A causis quae morbum excitant, et a symptomatum vi et natura est deducenda. Si paroxysmi facile recurrunt, si vires aegrae sint nimium fractae; si morbus est diuturnus, si a profusis evacuationibus pendet vel a viscerum organico vitio oritur, difficillime curatur; nonnunquam in maniam et tabem transit.

CURA.

Medendi ratio alia est in paroxysmo et alia post paroxysmum. Venae sectio plerumque obest in paroxysmo, si diu manserit, attamen si diathesis hypersthenicae signa adsint, si aegrota plena sit, si haemorrhoidum vel menstruorum suppressio adsit, si signa gravissima sint et respiratio plurimum afficiatur, sanguinis missio ad paucas uncias est praescribenda, sed summa cum circumspectione; remedia sic dicta antispasmodica sunt utenda; si aegra medicamenta sumere nequit, admoveantur naribus assa foetida, sales volatiles et spiritus ammoniae succinatae: si alvus est pertinaciter adstricta, enemata cum assa foetida, vel ex aqua gelida sunt immittenda. Si vero paroxysmus haud est gravior, opium, castoreum, camphora, assa foetida, aether sulfuricus, etc. interne sunt usurpanda. Reditui ejus occurritur, cinchona, ferri praeparationibus; antispasmodicis; balneo frigido; exercitatione omnigena; diaeta levi nutriente; aeris humidi et calidi evitatione, ac mentis et corporis tranquillitate. Si vero evacuatio

solita suppressa vel nimis profusa paroxysmum hystericum induxerit, remedia sunt adhibenda ad causas unde morbus fuerit profectus, aptata.

BALLONIUS, Oper. omn. sup. cit. Tom. IV. Cap. X. pag. 212.
BOTTONI, Vid. Ginec. sup. cit. Tom. II. pag. 332. Cap. XXXIX.
CELSUS, De re medic. sup. cit. Lib. IV. cap. 20.
HOFFMANN, Oper. sup. cit. Tom. IV. Cent. II. Sect. III.
MORGAGNI, Oper. sup. cit. Tom. II. epist. XLV. art. 17-20.
POMME, Traité des affections vaporeuses 8.° Vol. III. Paris 1775.
SYDENHAM, Oper. sup. cit. Tom. I. pag. 408. seq.
WHYTE, Malad. nerveuses sup. cit. Tom. I. cap. II. pag. 362.
WOOLLCOMBE, Diss. de hysteria. 8.° Edinb. 1778.

CAP. XXII. HYDROPHOBIA, SEU RABIES CANINA.

CHARACTER.

Potus cujuslibet, utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror ex morsu animalis rabidi plerumque natus.

SYMPTOMATA.

Incerto post morsum plerumque die, circa vulneris oras, rubor, calor, ardor et tensio dolens, per totum artum extensa; eodemque tempore circa locum laborantem dolores vagi atque spasmi se se ostendunt; vulnus reapertum ulcus efficit malignum, ex quo saniosum foetidumque tabum manat; languore, lassitudine, anxietate, suspiratione frequenti, et solitudinis desiderio corripitur aeger; nunc moestus ab imo pectore gemitus trahit vel somniis inquietis et horrendis animi imaginibus vexatur. Pulsus irregularis, celer et saepe plenus; nausea; appetitus prostratus. Morbo aucto, angustiae et oppressionis sensus circa praecordia cum difficili respiratione aegrum tentant; sitis ingens est sed potum deglutire haud valet; deglutiendi difficultas, convulsionibus musculorum laryngis et pharyngis augetur; globi in faucibus se volventis sensus adest, qui capitis motu convulsione, ac vehementi musculorum colli tremore comitatur. Interdum anxietas, horror, aurium tinnitus, et tremores convulsivi apparent, aquae asper

ctum aut limpidi et splendidi liquoris, aut albae vel pellucidae rei conspectum fugit; cutis adeo sensilis evadit, ut aeris frigidi impressio et sonus anxietatem et convulsiones excitent; oculi distorquentur, truces et torvi mirum in modum rotantur; urina est limpida, vel supprimitur; pulsus parvus, irregularis ac intermittens; ingentem sitim accusat aeger, sed bibere obstinate recusat, nam si parvam potionis cujuslibet guttam sugere tentat, fastidium, horror et convulsiones superveniunt. Morbo ingravescente omnia symptomata augentur, anxietas est continua; cor vehementer palpitat; oculi turgent et fulgent; delirium; os semiapertum remanet; magna salivae viscidae copia expuitur, ut spumam ante os efformet; conspuendi mordendique cupiditas; vocem tollit miserrimus aeger canis latratui similem; amicos et filios aggreditur, sed dum in se redit, veniam poscit de illatis injuriis. Nonnunquam tot tantisque malis oppressus mortem cupit, et ex locis altioribus se praecipitat, vel adstantes orat ut sine misericordia trucidetur. Viribus tandem exhaustis respiratio fit anxia et difficilis; gelidus sudor ex toto corpore promanat; animi deli-

quia frequentiora, sopor, apoplexia et mors accedunt.

CAUSAE.

Venenum specificum quod a cane, lupo, fele, aliorumque animalium morsu transmittitur. Transpirationis defectus, calor magnus, aestus ingens, alimenta putrida, alvus clausa a scybalis induratis, aquarum inopia, venus negata, vermes intestinales, et vermiculus sub lingua positus sunt causae, quae dicuntur canes praedisponere ad hoc venenum secernendum. Ejus natura et operandi ratio adhuc latent. Interdum animal vel canis rabie correptus, initio suam amittit alacritatem, morosus fit, a domino vocatus haud accedit, solitudinem quaerit. Paulatim inquietus evadit, huc et illuc procurrit, non latrat sed summissa voce murmurat, aquam et liquida fugit, vix cibum capit, linguam ore exerit, ac spumosam salivam mittit. Hoc in statu per duos tresve dies remanet, tunc magis tristis et irrequietus domini domum relinquit per vias sine ulla directione et tortuose, capite demisso et cauda intra crura retracta obambulat; oculi sunt rubri, prominentes et

lippidi; horrent omnes pili, praecipue sub dorso; quid quid invenit vel mordit vel mordere conatur; fugunt animalia periculi fere conscia ab hostis teterrimi aspectu. Tandem deficientibus viribus inter convulsiones vitam amittit. Pauxillum panis rabidi canis saliva tinctum, inevitabilem mortem animalibus infert.

PROGNOSIS.

In hoc atrocissimo morbo, si symptomata apparent, nulla spes adest salutis. Cadaverum sectio ventriculum multo aere distentum, vasa sanguinea turgida et sanguine referta demonstrat. Sunt inter recentiores, qui nervorum ganglia inflammatione correpta, se vidisse asserunt ut in epilepsia et in aliis nervorum vitiis. Aliis cor et vasa majora dilatata, pulmones inflammati et cum pleura concreti, ac pericardium siccum cum corde coalitum apparuere.

CURA.

Medendi ratio in duas partes dividi potest. Methodus prophylactica ad morbum praeveniendum, altera vero ad morbum

presentem ejusque effectus auferendos valet. Externa remedia quae adhiberi possunt ad morbum praeveniendum sunt, partes morsae statim vel ante diem quartum extirpandae, et postea aqua tepida salina sunt abluendae; partis laesae scarificatio; vulnus apertum servari debet applicationibus stimulantibus ut argento nitrato, alcali vegetabili caustico, cantharidum pulvere vel litu mercuriali circa partem affectam; salivatio lenis est promovenda. Si morbi symptomata apparent etiam levissima, cito est occurrendum; plurima a medicis celebrantur remedia contra hydrophobiam, quorum virtus etiamsi incerta et parum efficax comperta sit, attamen est semper tentanda. Vinum; moschus; oleum interne et externe; opium larga manu; aether sulphuricus; cinchona; valerianae silvestris radix; nux vomica; faba Sancti Ignatii; camphora; atropo belladonna; datura stramonium; cantarides; meloe majalis; assa foetida per clysteres injecta; unguentum hydrargyri externe ad salivationem ciendam: balneum frigidum, et alia quamplurima sunt remedia quae a medicis contra hunc atrocissimum morbum laudantur; eorum vero effectus

haud semper medicorum desiderio respondent.

Asti, Compend. di notizie interessanti circa il veleno dei rabbiosi animali. 8.° Mantova 1778.
Bosquillon, Mem. sur l'hydrophobie. 8.° Paris 1802.
Codronchii, De morbis veneficis. 8.° Vent. 1595.
Frank, Polizia medica Vol. IX. 8.° Milano 1808. vid. Tom. VIII. pag. 273. seq.
Mederer, Syntagma de rabie canina Friburg. 1783.
Münch, Diss. de belladonna efficaci in rabie canina remedio. 4.° Gotting. 1781.
Nugent, Essay on the hydrophobia. 8.° Lond. 1753.
Parry, Diss. de rabie canina contagiosa. 8.° Edinb. 1778.
Portal, Traité sur la rage. 8.° Paris 1779.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. I. §. 99-113.
Van-swieten, Oper. sup. cit. Tom. III. pag. 553.

ORD. IV. VESANIAE.

CHARACTER.

Mentis judicantis functiones laesae sine pyrexia vel comate.

CAP. I. MELANCHOLIA.

CHARACTER.

Insania partialis, qua unica praecipue cogitatio animum occupat.

SYMPTOMATA.

Hujus morbi initia adeo sunt obscura ut vix percipi possint. Signa vero quae melancholiam aliquando antecedunt, praecipue sunt ingens et diuturna tristitia, et improvisus metus; improvisa animi anxietate, imo vigiliis et insomniis aegri molestantur, ac hominum consortia fugiunt. Nonnunquam de repente sine ulla causa evidente malum incipit. Nonnulli falsis rerum imaginibus detenti, illis solis animum occupant; omnes ideae ad unum potissimum objectum trahuntur ac eorum voluntas libertatem amittit; modo reges, divites aut nobiles se esse putant; modo moesti vel meditabundi incedunt, a cibo et potu se abstinent; si edunt bibuntque, omnia summa ingerunt aviditate; eunt quo non debent, inter lutum ambulant, et membra nudant; non salutant quos salutare debent, dum vilissimos homines summo in honore habent. Alii pauperes se esse credunt, mortem aliis insidiose inferre vel sibi ipsis meditantur. Sunt qui immodica laetitia exultant, ridiculose delirant et hilares sunt,

confuse et inordinate loquuntur, vel nimium sunt loquaces; alii instar statuae obrigescunt taciturni, et contumaci vigilia detinentur, ut per multas dies et noctes, imo per hebdomadas nullum somnum capiant, et si dormiunt, somnus est perturbatus; surgunt e lecto subito trepidantes, hunc et illuc excurrunt, ut si a spectro aliquo vel ab immani fera persequantur; semper meticulosi et suspicionum pleni, homines fugiunt et ab omnibus insidiari metuunt; tristantur ubi gaudendum est, gaudent ubi tristitia opus est; puerilia admirantur, vel maxima et admiranda spernunt. Haec sunt symptomata, quae errantis mentis indicia praebent, consideranda sunt etiam illa, quae totius systematis perturbationem designant. Melancholici adspectum habent luridum, oculos concavos, ita, ut terrorem exprimant; oculi vel fixi in eodem obtutu haerent, vel torvi ac truces alios intuentur; incredibilem frigoris et aestus tolerantiam habent; os distorquent; respiratio profunda, laboriosa, suspiriosa est, cordis palpitatione stipata; alvus pertinaciter adstricta; faciei totiusque corporis color fuscus, lividus vel terreus; arteriae magis pulsant et saliunt; pulsus

sunt duri, irregulares, interdum tardi, non nunquam inaequales; vultus modo rubicundus, modo pallidus invenitur. Nonnunquam oculi obtenebrantur, odoratus infirmatur; urinae excretio supprimitur, vox debilis et clangosa, perspiratio imminuta, sudores frigidi circa caput et collum, ingens salivae fluxus et vomitus substantiae nigrae vel sanguine mixtae melancholiam comitantur. Impossibile est singula hujus morbi symptomata enumerare, quae tam multifaria sunt, ut fere quilibet observatorum nova adjunxerit. Ex modo dictis hujus morbi character satis apprehendi potest.

CAUSAE.

Labes haereditaria; vitia cordis et cerebri organica; animi pathemata; evacuationes immoderatae; studia intensa et taediosa; religionis falsae terrores et superstitio; continua animi attentio ad unam ideam; aer frigidus, humidus et nebulosus; aer depravatus; venena narcotica; ingurgitatio liquorum spirituosorum iterata; mercurialium abusus; hypochondriasis et hysteria; exanthemata retropulsa praecipue scabies;

pellagra; arthritis, et colluvies verminosa. Ad hunc morbum sunt praedispositi, qui corpore sicco, rigido, macie exhausto, colore capillorum atro, oculis concavis, colore cutis non nitido sed lurido, et venis turgentibus sunt praediti, quae omnia habitum corporis melancholicum efformant.

DIAGNOSIS.

Differt melancholia a fatuitate, in hac enim sensuum hebetudo et mentis ignavia adsunt, in illa vero mens est activa, licet circa falsa objecta versetur; fatui neminem laedunt, melancholici aliis violenter manus inferre tentant. A delirio dignoscitur, delirium enim est plerumque symptoma, quod febres vel alios sequitur morbos, et breviores habet periodos, melancholia vero nulla stipatur febre et longior est morbus. Ab hypochondriasi, dyspepsiae signis saepe absentibus et delirio melancholico dignoscetur.

PROGNOSIS.

Si a causis organicis ortum ducit vel a labe haereditaria oritur, difficillime amo-

vetur, tunc morbum efficit diuturnum; nonnunquam fauste solvitur diarrhoea, haemorrhagia, febri intermittente vel eruptione cutanea. Si aeger somno reficiatur, et mens cogitationibus melancholicis averti possit, spes erit salutis. Quando vires labescunt vel epilepsiae aut apoplexiae signa apparent, lethalis est. Aliquando in alios morbos transit; icterus, hydropes, et cutis morbi pertinaces oriri possunt.

Cadaverum sectio quamplurima vitia tam in cerebro ejusque membranis, quam in corde, vasis majoribus et in abdomine ipso demonstrat.

CURA.

Si haemorrhoidum, vel menstruorum suppressio praecesserit et signa hypersthenicae diatheseos adsint, venae sectio, sed caute est adhibenda; juvant potissimum hyrudines circa vasa haemorrhoidalia vel pudendis admotae; cathartica lenia; aloe; rhabarbarum; aqua cum gas oxygenio; digitalis purpurea; cuprum ammoniacale; datura stramonium; emetica; an barites muriata? in aqua frigida immersio. Si vires sint nimium fractae, si graviora animi pathe-

mata sint morbi causae, et diathesis hyposthenicae signa adsint, excitantia remedia tam fixa quam volatilia, sed praecipue opium magna dosi exhibendum est; epispastica nuchae apposita; setacea; balnea tepida; mens ut in hypochondriasi est delectanda ludis, musica, libris de rebus levibus, jocosisque tractantibus, exercitatione, et cum illis ratiocinatione de rebus iis contrariis quibus agitantur, ac omnibus modis ad hypochondriasim aptatis; diaeta foret nutriens et facilis concoctionis.

Albinus, Diss. de aegro melancholia laborante etc. 4.° Franc. 1684.
Andry, recherches sur la melancholie. 8.° Paris 1786.
Burserius, Oper. sup. cit. Tom. III. §. 225. seq.
Chiarugi, Della pazzia in generale ed in specie Tratt. medic. analitico. 8.° Firenze 1794.
Comment. Acad. Inst. Bonon. Tom. I. pag. 307.
Lorry, De melancholia. 8.° Vol. 2. Paris 1765.
Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. I. epist. VIII. n. I.
Odier, Manuel de medic. pratique. 8.° Geneve 1803.
Willis, Oper. omn. sup. cit. De anima brut. par. 2. Cap. 10.

CAP. II. MANIA.

CHARACTER.

Delirium apyreticum circa quaevis objecta, cum furore, audacia et robore magno.

SYMPTOMATA.

Dolor capitis pertinax, vertigo, oculi rubicundi et motibus convulsivis affecti, sensuum hallucinatio, vultus tumidus maculisque rubris sparsus, horrores, universi corporis tremor, pulsus concitatus sed irregularis, respiratio anxia et oculorum ferocia sunt symptomata quae maniae accessionem praecedunt. Delirium immane incipit; mens aegri adeo turbatur ut ab una idea in aliam celerrime rapiatur; in iram aeger pronus vix vinculis cohiberi potest; amicos et affines spernit, exhibet portenta virium, et incredibili musculorum vi, etiam vincula fortissima infrangit, lucem fugit, pudorem amittit, lubrica et obscoena tentat, summa loquitur volubilitate, ita ut aliquando linguas etiam peregrinas cognoscere videatur. Constanti vigilia detentus somnum per hebdomadas integras haud capit; cibi potusque desiderium amittit; secretiones turbantur vel imminuuntur; summa audacia correptus pericula contemnit, sed si a puero vel a foemina metu impellitur, facile subigi potest. Pulsus sub accessu celeres evadunt, vel re-

gulares remanent. Paroxysmo declinante, moestus et stupidus fit, et in statum melancholiae incidit, ut stimulos etiam fortiores vix percipiat. Paroxysmi per circuitum redeunt, aliquando vero lunae imperio obtemperant.

CAUSAE.

Studium nimis intensum; pathemata animi violenta; rerum adversarum subitus adventus; frustratio iterata; tumores et exostoses intra cranium; capitis vulnera; insolatio; profluvia solita suppressa; vini nimius usus; labes haereditaria; nonnulla venena uti opium, hyoscyamus, belladonna etc.; temperamentum sanguineum; melancholia diu perdurans; causa proxima est sensorii excitatio aucta. Hoc malum in calidis regionibus et tempore aestivo frequenter occurrit; juvenes potius quam senes, sexumque virilem quam foemineum aggreditur.

DIAGNOSIS.

Differt a melancholia, nam haec lente aggreditur, aeger tristis magis de rebus fu-

turis quam de praesentibus timorem habet, et in tempestate frigida ac nebulosa magis insaevit; mania vero subito accedit, habitu plethorico praeditos aggreditur et tempore aestivo nimis calido excitatur. Ab encephalitide facillime distinguitur mania, namque febre semper caret hic morbus, ea contra encephalitis semper stipatur.

PROGNOSIS.

Haemorrhagiae largae, diarrhoea vel febris intermittens salutem saepe afferunt. Delirium vehemens, morbi diuturnitas, vel labes haereditaria periculum denunciant.

CURA.

Si systematis incitatio sit nimis aucta, et morbus non diu manserit, sanguis cito et libere est detrahendus; arteriae temporalis vel venae jugularis incisio; hyrudines ad utrumque nasi foramen vel temporibus applicatae; cucurbitulae cruentae; in loco frigidiusculo et tenebroso tuto detineatur aeger; post venae sectionem, purgantium usu alvus est laxanda; si lenia cathartica

haud juvant, fortiora sunt usurpanda; emetica repetita; digitalis purpurea; usus hellebori; gratiolae pulveris grana decem mane et vespere; diaeta tenuis et parca; applicationes frigidae et vesicatoria capiti raso sunt admovenda: morbo diu protracto, si aegri vires sint nimium fractae, varia stimulantia et diaeta nutriens sunt adhibenda; opium, camphora et moschus larga manu sunt danda: si exanthemata retropulsa sint morbi causae, antimoniales praeparationes; vesicatoria; setacea; fontanellae brachio vel nuchae sunt aperiendae; sed prae omnibus in paroxysmi violentia balneum frigidum. Evitatis omnibus causis, quae morbo occasionem praebent, aegri mens est componenda suasione, exercitatione, et musica, quae tam facile in animos teneros atque molles influunt.

Biblioteq. Britann. 8.° Geneve vid. Tom. VIII.

Chiarugi, Oper. sup. cit.

Crichton, An inquiry into the nature and origin of mental derangement. 8.° Lond. 1798.

Ferriar, Medical. histories and reflexions, etc. 8.° Lond. 1795.

Frank Gius., Viaggio medico a Parigi ed in Inghilterra. 8.° Mil. Vol. 2. 1813. vid. Vol. II. pag. 133., e 225. 238.

Lorry, De melancholia sup. cit.

Morgagni, Oper. sup. cit. epist. VIII. Art. I.
Pinel, Traité sur la manie etc. 8.° Paris an. IX.
Stuart, Diss. de mania. 8.° Edinb. 1778.
Vogel, Diss. de insania longa. 8. Goetting. 1763.

CAP. III. FATUITAS.

CHARACTER.

Mentis functionum praecipue judicii imbecillitas.

SYMPTOMATA.

Haec mentis aegritudo modo gravis est, modo minus intensa et diuturna. Major hujus morbi gradus aegri corporis habitu cognosci potest. Oculi sunt fixi et stupidi, vel luridi, turgidi, moesti et lippi; palpebrae conniventes; frons depressa et rugosa; facies nunc pallida et laxa, nunc inflata et turgida; interrogantem stupidus intuetur fatuus eique difficulter respondit, vel mussitat nonnulla verba et dein caput deponit; brachiis pendulis et demissis incedit; timidus, superstitiosus lucem et hominum consortia fugit, solitudinem amat; memoria et ima-

ginatio labescunt, eorum tantum reminiscitur, quae sensus magnopere affecerant; puerorum more nunc ridet et cachinnos elevat, paulo post gemitus trahit et lacrimas sine causa fundit; sibi apposita arreptat et devorat; salivae fluxus continuus; pulsus sunt tardi et inaequales. Morbo aucto sensuum hebetudo, mentis ignavia et animi dejectio adeo sunt graviora ut ideis quasi omnigenis vacuus, stupidus aeger vix sentiat impressiones vividas et fortes.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, vitia encephali organica; capitis ictus; tumores cerebrum comprimentes; venus immodica; animi pathemata vehementiora, praecipue terror et moeror; studia nimis intensa; morbi praegressi ut epilepsia, paralysis, hydrocephalus; febres hyposthenicae vel diuturnae; vini et liquorum spirituosorum abusus; senectus; labes haereditaria. Adest alia fatuitatis species, *Cretinismus* dicta, incolis vallium Alpinarum propria, quae ut plurimum strumis, rachitidi vel hydrocephalo conjungitur. Hoc laborantes morbo statura hu-

mili, corpore male conformato, et capite anteriora verso et propendente sunt praediti; oculi luridi ac lippi iridem habent cerulei coloris, vel strabismo laborant; cutis flaccida et alba; labia sunt tumida, crassa, praesertim superius; os latum et hyans; dentes albidi et pectinatim commissi; capilli coloris fulvi; dum incedunt semper vacillant et pedes distorquent; vocati haud respondent, concussi quasi e somno excitantur, dein caput demittunt et continuo stertunt. Stupidi, sordidi, timidi, libidinosi collum tumidum habent et strumis defaedatum ac misserrimam ducunt vitam. Potus aquae frigidae, nivalis, aer nebulosus, humidus et haud renovatus, cibus pravus, frigus, sordes primarum viarum, sunt forsan causae simul junctae quae cretinismum producunt.

PROGNOSIS.

Fatuitas morbum efficit diuturnum et vix sanari potest. Si a labe haereditaria vel a congenito encephali vitio pendet, insanabilis est. Si post febres continuas, remittentes vel intermittentes oritur, facile curatur.

Cadaverum sectio plurima organica vitia tam in cerebro, quam in cranii forma ostendit. In aliis enim cranium superius planum, majus et crassius, foramina mastoidea ampliora, jugularia autem angustiora, basim sursum depressam, ossis sphaenoidei alas parum evolutas anatomici invenerunt. Ab aliis vero cystis purulenta in cerebro, ventriculi cerebri humoris nigri et foetidi pleni, folia cerebelli pauciora, ipsaque cerebri substantia mollis et fere pultacea observata fuerunt.

CURA.

Secundum diversas morbi causas est dirigenda. Si mentis imbecillitas febri hyposthenicae vel apoplexiae, epilepsiae, paralysi aut aliis nervorum morbis supervenit, remedia excitantia sunt usurpanda; cinchona; valeriana silvestris; opium; camphora; diaeta nutriens; corporis exercitia viribus proportionata; medicamenta sic dicta cardiaca plurimum prosunt. Fatuitas quae apoplexiae paroxysmum praecedit, aliquando diathesi hypersthenica conjungitur, praesertim in iis, qui plethorico temperamento sunt donati, vel abitu apoplectico sunt prae-

diti, tunc venae sectio, hyrudines ad tempora aut circa anum et vesicatoria nuchae apposita, morbum solvere possunt.

Araeteus, Sup. cit. chronic. L. I. cap. 6.
Ackermann, Uber die Kretinen, eim besondere Menschenart etc. 8.° Gotha 1790.
Camerarius, De aegritudine animi. 4.° Tubing. 1688.
Foderé, Essai sur le goitre e le cretinage etc. 8.° Turin.
Gautieri, Struma Tyrolensium. 8.° Viennae 1794.
Iphof, Diss. de cretinismo. 8.° Vitb. 1804.
Lieuteaud, Hist. anat. med. 4. Vol. 2. Paris 1767.
Malacarne, Sur l'etat des cretins. Vid. Franh Delect. Opuscul. Vol. VI. pag. 241. seq.
Odier, Manuel de medic. sup. cit. Lec. XVI. pag. 176. seq.
Thomann, Comment. de mania et amentia. 8.° Wurceb. 1798.
Vogel, Diss. de fatuitate. 8.° Jen. 1794.

CACHEXIAE.

CLASSIS III. CACHEXIAE.

CHARACTER.

Totius vel magnae partis corporis habitus depravatus: sine pyrexia primaria vel neurosi.

ORD. I. MARCORES.

CAP. I. TABES.

CHARACTER.

Corporis totius macies et debilitas graduaria, pyrexia hectica, plerumque affectio symptomatica.

SYMPTOMATA.

Ciborum aversatio, animi tristitia, alvus pertinaciter adstricta; febris quotidie rediens cum accessione vespertina et calore fugaci ad genas, vel ad manuum volas pedumve

plantas; pulsus parvus, debilis et contractus; corporis totius macies, praecipue in partibus, quae multo adipe erant praeditae; urina pellicula oleosa cooperta et sudores copiosi, sunt tabis jam protractae symptomata. Ungues incurvantur; decidunt capilli; cutis aspera et sicca evadit; oculi profunde haerent in orbita; ossa maxillaria prominent; nasus acuminatur; scapulae elevantur et prominent; extremitates oedemate turgent, deliquia continua, consumptio et mors.

CAUSAE.

Quamplurimae sunt causae quae tabem gignere possunt. Causae remotae sunt ciborum defectus; dysphagia, vel oesophagi paralysis; aneurysma aortae; summa ventriculi atonia; vomitus frequens; ductus thoracici morbi; exinanitiones magnae; mesenterii glandulae induratae; diuturna salivatio; purgantia repetita; pulmonum vel viscerum abdominalium vitia diuturna; larga suppuratio; profluvia immodica; animi pathemata, uti moeror, amor infelix, nostalgia etc.; venena assumpta; seminis jactura; impedita substantiae nutritiliae distributio et scrofulae;

studia profunda; aeris insalubritas; spirituosorum abusus et jejunia diuturna. Causa proxima est varia, secundum organa vel partes diversas quae sunt morbo affectae.

PROGNOSIS.

Tabes sine viscerum organica laesione, haud est periculi plena, cognita enim causa, si removeri potest, facile curatur. Corporis vero consumptio diu perdurans vel quae a functionum laesione, a morbo organico aut a suppuratione pendet lethalis est. Accedente hydrope vel extremitatum oedemate actum est de aegroto.

CURA.

Morbus primarius, a quo tabes pendet, primo est investigandus, et remedia ei idonea sunt administranda. Si ex summa virium inanitione oritur, diaeta nutriens est ordinanda; cibus gratus et concoctu facilis; diaeta lactea; juscula carnea; potus cerevisiae; vina generosa parva copia; coeli mutatio; animi alacritas, et corporis exercitatio moderata; remedia amara, quassia, cin-

chonae infusum cum lacte mixtum; aquae martiales. Si nostalgia sit tabis causa, reditu in patriam curatur. Si ab glandularum mesentericarum obstructione oriatur, hydrargyri praeparationes sunt utendae; postea ferri praeparationes; tinctura martis pomata; columbo radix; cinchona. Caeterum hujus mali cura secundum causas et diversas morbi complicationes est dirigenda.

Bennet, Theatrum tabidorum. 8.° Forent. 1755.
Engelhart, Diss. de marcorum praecipuis causis. 8.° Lugd. 1798.
Forestus, Oper. omn. sup. cit. Tom. III. pag. 330.
Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. III. Epist. XLIX. Art. 19.
Morton, Oper. omn. sup. cit. Phthisiolog. Cap. III.
Soemmering, Malattie dei vasi linfatici sup. cit.

CAP. II. ATROPHIA LACTANTIUM.

SYMPTOMATA.

Voracitas et summa appetentia praecipue casei, panis et similium; jusculorum aversatio; sitis; alvus modo pertinaciter astricta, modo magis fluida; abdominis inflatio. Corporis macies, initio parva, deinde

summa debilitate comitatur, cum rubedine genarum circumscripta; dolores in aliqua thoracis parte vagi; tussis; dyspnoea; pulsus solito frequentiores et aliquantum duri; pyrexia hectica; hydrops vel anasarca; diarrhoea colliquativa. Morbus ad annum aliquando protrahitur, nonnunquam in rachitidem degenerat.

CAUSAE.

Debilitas systematis a nutritione deficiente, et thea nimis libere sumpta; cibi crassiores aut non bene cocti; habitatio nimis humida; inordinata nutritio; scabies; tinea et achores repulsi; sordities; vermes.

PROGNOSIS.

Secundum causas variat, summa corporis lassitudo, febris, vigiliae continuae cum corporis macie confirmata, infausta sunt symptomata. Glandulae mesenterii in infantum cadaveribus obstructae, ita ut externe promineant, aliquando etiam suppuratae videntur.

CURA.

Imprimis infans a lacte est depellendus. Si dispnoea, tussis et thoracis dolor premant, sanguinis missio parca, generalis vel topica multum conducit, praecipue morbi initio; epispastica invicem excipentia thoraci admota; laxantia lenia; demulcentia; diaeta ex lacte, farinaceis vel jusculis composita. Si vero diathesis hyposthenicae signa, tonica sunt utenda ut ferri praeparationes, praecipue tinctura martis pomata, cinchona, acida mineralia, balnea aromatica, diaeta nutriens etc.

Alberti, de atrophia infantum. 4.° Hal. 1729.
Coel. Aurelianus, Morb. chron. sup. cit. Lib. III. cap. 7.
Chuden, De modo praeservandi et curandi atrophiam infantum. 4.° Goettin. 1746
Gattenhof, de atrophia infantili. 4.° Heildeb. 1775.
Girtanner, Malatt. dei bambini sup. cit. Tom. II. pag. 245.
Mem. de l'Instit. national. des sciences. 4.° Paris ann. VI. Tom. I. n. 29.
Primerosius, De morbis puerorum 12. Roterod. 1658.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 639. seq.

ORD. II. INTUMESCENTIAE.

CHARACTER.

Totum vel magna corporis pars extrorsum tumens.

FLATUOSAE.

CAP. I. EMPHYSEMA.

CHARACTER.

Corporis intumescentia tensa, elastica, sub manu crepitans.

SYMPTOMATA.

Morbus hic modo partem aliquam tantum occupat, modo universum corpus tumidum et elasticum reddit. Aër sub cute expansus tumorem elasticum efficit, qui vel universam corporis superficiem inflat vel in aliquem locum aut in cavum organum introducitur. A varia, quam occupat, sede, diversa habet nomina, sic tympanitim intesti-

nalem, abdominalem, uterinam appellamus, prout aer evolutus aut morbose secretus in intestinorum, abdominis vel uteri cavo contingat. Porro haec morbosa aeris collectio in omnibus corporis partibus, in cavo cranii, mediastini, in oculo, in pericardio, in vasis tam sanguineis quam lymphaticis, in pulmone, in pericardio et ipso corde, inter tendines ac sub periostio effici potest. Ideo symptomata quae emphysemata comitantur, diversissima sunt, secundum morbi sedis naturam.

Singulae emphysematis species vel ex aucta corporis actione vel ex depressa virium energia pendent, ideo in hypersthenicas et hyposthenicas dividi solent.

CAUSAE.

Sine causa manifesta frequenter oritur emphysema; quamplurimae vero causae sunt quae aeris evolutionem partialem vel universalem inducere possunt in animalis corporis partibus. Vulnera, contusiones, vel costarum fracturae; laryngis vel tracheae interna laesio; tussis nimis violenta; aurae frigidae et humidae expositio; graviditas;

partus difficilis nisus; hysteria et hypochondriasis; exanthemata, uti variolae, miliaria, phlyctaenae, scarlatina; nonnunquam febres epidemicas comitatur. Sunt qui improba simulatione perducti ad movendam hominum misericordiam, puerorum cutem retro aures incidunt, aereque immisso inflant, unde tumor hydrocephalum mentiens, efformetur, sed hoc simulatum emphysema, facillime cognosci potest, resorpto enim aere cutis post paucos dies subsidit.

PROGNOSIS.

Emphysema quod circa organa vitae necessaria oritur, periculi est plenum, alia mala et suffocationem ipsam inducere potest.

CURA.

Tela cellulosa est scarificanda et aer digitis est expellendus. Si aer in thoracis cavum obliquo vulnere penetravit, vulnus est dilatandum, ut aer libere exeat. Si dyspnoea urgeat, et aeger plethoricus sit venae sectio et laxantia sunt usurpanda. Emphysema quod a causa interna oritur et febribus hy-

posthenicis conjungitur aceto vini, alchoole cum camphora, fomentis aromaticis, decocto corticis peruviani externe est tractandum, additis remediis internis, morbo principali aptatis.

CAP. II. TYMPANITES.

CHARACTER.

Abdominis intumescentia tensa, elastica, sonora; alvus adstricta; caeterarum partium macies; rejecto sursum vel deorsum aere levamen.

SYMPTOMATA.

Signa quae huic morbo conveniunt, communia fere sunt cum ascite; tussis sicca, respiratio laesa, anxietatis et oppressionis circa praecordia sensus; lassitudo inusitata et abdominis dolor, praecipue morbi initio. Singultus, cordis palpitatio, vomitus frequens, alvus pertinaciter adstricta cum abdominis intumescentia elastica, sonora, nequaquam fluctuosa, in quocunque corporis situ formam molemque servante; oculorum

caligo; animi deliquium; pyrexia; ventriculi et intestinorum inflatio; borborygmi, ructus et flatus cum levamine secedentes. Duas habent species hujus morbi recentiores, tympanitim *intestinalem* et *abdominalem*, quae hypersthenicae vel hyposthenicae sunt naturae, prout ex atonia vel a nimia viscerum abdominalium actione pendeant.

CAUSAE.

Diarrhoea diuturna; drasticorum abusus; haemorrhoidum vel menstruorum suppressio; cibi nimis crudi; vermes in intestinis; saburrae; intestinorum induratio vel nimia distensio; hernia; exanthemata retropulsa; icterus diuturnus; hysteria; febres intermittentes vel laesio organica, tympanitim intestinalem producunt. Aer fugiens per laesas intestinorum membranas; viscerum abdominalium gangraena, et morbosa aeris secretio abdominalis tympanitidis sunt causae.

DIAGNOSIS.

Ab ascite dignoscitur intumescentia elastica et sonora, fluctuatione absente.

PROGNOSIS.

Menstruorum vel haemorrhoidalis fluxus restitutio (si a suppresso profluvio oritur), tympanitim nonnunquam solvit. Dolor ingens abdominis, vultus ruber, singultus, pulsus parvi, inaequales, animi deliquium frequens et extremorum frigus, infausta sunt signa. Tympanitis quae ab aliquo viscerum abdominalium organico vitio pendet, vel intestinorum paralysi supervenit, lethalis est.

CURA.

In tympanitide hypersthenica, si abitualis fluxus suppressio adsit, si pulsus sint duri, inaequales, remittentes cum capitis dolore et difficili respiratione, venae sectio, etiam repetita si opus erit. Si saburrae signa apparent, enemata et cathartica laxantia; nivis abdomini applicatio, vel solae vel acido sulphurico commixtae. Ad tympanitim hyposthenicam, quae ex atonia vel ab intestinorum spasmo oritur, remedia excitantia et tonica tam interna quam externa sunt adhibenda, qualia opium, oleum

anisi et similia aromatibus conjuncta, radix calami aromatici, aqua vel oleum menthae piperitae, rosmarinus, semina foeniculi, aether sulphuricus, alcali volatile, camphora, assa foetida et alia volatilia; frictiones abdominis panno-laneo, vel cum linimento ammoniae, cucurbitulae siccae abdomini impositae, clysmata ex infuso chamomillae cum assa foetida parata sunt injicienda: acidum vitriolicum plurimum juvat ad alimentorum effervescentiam cohibendam; abdominis cum fascia circumvolutio; fistula pro enemate in rectum est immittenda, ibi per tempus relinquenda, iteranda; ad flatus absorbendos optime conferunt magnesia calcinata, aqua calcis, alcali volatile causticum, pulvis ex ligni carbone. An abdominis paracentesis?

Baglivi, Oper. omn. sup. cit. cap. XXXVIII.
Baumé, De vera tympaniae causa et rationali curatione. 8.° Paris 1774.
Cambalousier, Pneumato-Pathologia. 8. Paris 1747.
Fienus, De flatibus molestantibus. 12. Amstelod. 1643.
Frank, Epitom. sup. cit. Lib. VI. Par. I. Ord. I. §. 701. seq.
Jacopi, Mem. se convenga la paracentesi in caso di Timpanite peritoneale o nella intestinale, 8. Mil. 1812.
Littre, Vid. mem. de l' Academ. des sciences de Paris, ann. 1713.
Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. II. epist. XXXVIII.
Zeviani, Del flato. 4. Verona 1761.

AQUOSAE SIVE HYDROPES.

CAP. III. HYDROPS.

CHARACTER.

Fluidi serosi vel lymphatici morbosa effusio in aliqua corporis parte collecta.

Hydrops pro variis in corpore partibus in quibus humor effusus colligitur, diversa habet nomina. Si serum vel lympha in cerebro effunditur, *hydrocephalus* dicitur; cum in thoracis cavum vel in ipsum pulmonem confluxerit, *hydrothorax*; ubi aquae in abdomine cumulantur, *Ascites*; si in tunica testium vaginali fit, *hydrocele*; quando in ovariis haeret, *hydrops Ovarii*; si in uteri cavo fit, *hydrometra* nuncupatur; si columnae vertebralis cavum occupat, *hydrorrhachia*; si in cavo articuli vel circa capsulas articulorum effunditur *hydrarthros* dicitur; tandem si telam cellulosam, quae corpus universum obvestit, implet et distendit, *Anasarcae* nomine designatur. Variae hydropum species inter se differunt tam ra-

tione partium, quas occupant, quam ratione materiae effusae ac diversae corporis conditionis. Vel a vitio enim locali, vel a totius systematis morboso affectu originem ducunt, ita in hypersthenicas et hyposthenicas, varias hydropum species dividere juvat.

CAP. IV. ANASARCA.

CHARACTER.

Corporis totius vel partis ejus intumescentia mollis, inelastica.

SYMPTOMATA.

Anasarca primo pedum et talorum intumescentia molli, inelastica incipit, quae sub vespere potissimum comparet, praecipue si aeger diu pedibus steterit. Morbo aucto intumescentia paullatim extenditur, crura, femora et extrema inferiora occupat, et digiti impressi vestigium retinet, foveola in cute relicta, quae digito amoto post aliquod temporis evanescit. Si hydrops progreditur, seri effusio abdomen distendit,

in scrotum incidit, in thoracem effunditur; tandem faciem et artus superiores occupat. Cutis pallescit; sitis ingens aegrum vexat; urinae copia multum imminuitur et est subrubra; respiratio anxia et cutis arida; tussis sicca et frequens; alvus plerumque adstricta; oculi fulgorem solitum amittunt ac tunica albuginea plumbeum colorem refert. Palpebrae aliquando adeo intumescunt, ut visus omnino intercipiatur. Intumescentia variat semper pro corporis situ, vespere enim artus inferiores occupat, mane autem eorum tumor subsidit, et brachia, facies ac manus intumescunt. Cutis nonnunquam mirum in modum distenditur, ut humor per poros viam sibi faciat et extra distillet. Pulsus morbi initio, parvi, tardi et debiles, sed postea frequentes et abnormes evadunt et si in thorace humor sit, irregulares et intermittentes; respiratio difficilis, sed in positione corporis erecta magis libera; cibi appetentia imminuitur; motus voluntarii tardi; summa virium debilitas. In ultimo morbi stadio symptomata augentur, nausea plerumque accedit, animi deliquia, pulsus parvus et inaequalis; vires labescunt; respiratio anxia vel subli-

mis, ut aeger decumbere vix possit, delirium, coma et mors.

CAUSAE.

Causae remotae sunt systematis debilitas, liquorum spirituosorum ingurgitatione diuturna inducta; vitia organica pulmonum, cordis, hepatis, splenis, pancreatis et glandularum mesenterii; diaeta tenuis, parca et aquosa; usus narcoticorum, ut opii, theae, coffeae etc.; aer frigidus humidusque; nimia fluidorum ingurgitatio; vita otiosa vel sedentaria; evacuationes immodicae; venus nimia; excretionum, praecipue haemorrhoidum fluxus suppressio; morbi praegressi vel febres intermittentes neglectae; moeror gravis et diuturnus; inflammatio interna; ductus thoracici, lymphaticorum, ureterum vel vesicae ruptura ascitem inducens; exanthemata, praecipue variolae, rubeola et scarlatina. Omnia quae exhalationem augent et absorptionem imminuunt, hydropes inducere possunt. Causa proxima in exhalantium vel absorbentium vasorum morbosa actione constare videtur. Humoris effusione aucta, absorptione imminuta vel ambobus simul junctis, hydrops efficitur.

DIAGNOSIS.

Ab emphysemate facile anasarca dignoscitur, in hoc humor ob gravitatem suam partes inferiores plerumque petit, urina parca et sitis magna est; in emphysemate contra, tumor altiora versus ascendit, et crepitum singularem edit, si manu comprimitur, amota manu, ad priorem figuram subito redit, nec urina parca, nec sitis magna est. A polysarcia discernitur, in polysarcia enim tumor in diversa corporis positione, haud locum mutat, nec digiti impressionem retinet; gradatim hic morbus supervenit, ex diaeta plena et multum nutriente oritur. Hydropici facies pallida, et macie confecta apparet, facies polysarcici rubicunda et nitida semper est.

PROGNOSIS.

Si causae haud diu perstiterint et facile amoveri possint, si aeger juvenis sit, si morbus recens et symptomata haud multum violenta, si nulla viscerum obstructorum sint signa, et urina non multum

imminuitur faustum dare judicium licet. Si vero morbus ex ductus thoracis ruptura, ex pulmonum, hepatis vel cordis vitio organico oriatur, si constitutio aegri debilis, laxa vel cachectica sit, si intumescentia late se diffundat, et respiratio difficilis evadat, si post largas haemorrhagias nascatur vel post diuturnum alvi fluxum, prognosis haud erit fausta.

CURA.

Tres sunt indicationes in omni hydropis cura 1. systematis actionem restituere; 2. humorem effusum evacuare; 3. causas morbi, si fieri possit, avertere. Hypersthenicae indolis si fuerit morbus, si aeger aetate floreat, si respiratio sit nimis difficilis, et pulsus plenus, durus ac tensus evadat venae sectio multum proderit; methodus antiphlogistica. Aqua collecta puncturis parvis, vel fontanellis est exhaurienda; fasciae extremis sunt admovendae; emetica; cathartica primum mitiora, et si haec non valeant, drastica sunt adhibenda, ejusmodi sunt helleborus niger, rhamnus catharticus, elaterium, jalapa, gambogia gutta, colo-

cynthis, scammonium, calomelas, bryonia, gratiola, sed tartari crystalli primarium locum possident, si ad quantitatem unciae omni vel alterno mane in aqua satis larga solutae dentur; cavendum tamen est ne purgantium, praecipue drasticorum, nimius usus corpus admodum debilitet vel intestinorum inflammationem moveat; remedia, quae vi diaphoretica absorptionem promovent et cutis actionem excitant vel urinae secretionem adaugent, eminent inter prima antimonium tartarisatum, pulvis ipecacuanhae compositus, inter secunda locum habent digitalis purpurea, colchicum, scilla, kali acetatum, lactuca virosa, nicotiana, succus cinarae inspissatus, solanum nigrum, allium, iridis palustris radix, radicis ononidis spinosae decoctum, tinctura cantharidis; his omnibus frustra tentatis, salivatio lenis ope hydrargyri est promovenda. Si diathesis hyposthenicae signa evidenter apparent, tonus systematis restituitur exercitatione et excitantibus remediis, ut cinchona, quassia, ferri praeparationibus et balneo frigido; diaeta nutriens et simul concoctu facilis; frictiones manu nuda vel panno laneo oleo imbuto, vel strigili perfici possunt.

ARETAEUS, Sup. cit. chronic. Lib. II. Cap. I.
BAGLIVI, Oper. omn. sup. cit. De pr. morb. Lib. I. Cap. 9.
BARTHOLETTUS, Method. in dyspnoeam sup. cit. Part. III. Cap. 9.
BONET, Sepulcretum, fol. Vol. 3. Genevae 1700. vid. Lib. III. Sect. XXI. et XXXVII.
CAMPER, Vid. mem. de la societ. R. de medicine 1784-85.
FROMMAN, de hydrope. 4. Wirceb. 1806.
MILMAN, De natura hydropis. 8. Ticini 1795.
PISO CAROL., De morbis ex serosa colluvie sup. cit.
PURSELL, Diss. de hydrope anasarca. 8. Edinb. 1798.
WILSON, Diss. de hydrope. 8. Edinb 1800. Vid. etiam BURSERIUM, HUXAM, FRANK, HOFFMANN, CULLEN, WERLHOF, VOGEL.

CAP. V. HYDROCEPHALUS.

CHARACTER.

Humoris serosi vel lymphatici in capite tam interno quam externo collectio.

Aquarum effusio in subcutanea capitis cellulosa haerens, impressionem retinens, non fluctuosa *oedema capitis* dicitur. Capitis intumescentia mollis, inelastica cum hiantibus cranii suturis, *hydrocephalum externum* efformat. Si in ipsa cranii cavitate humor colligitur, *hydrocephalus internus* adest.

Aquarum collectio modo lentius, modo celerius in variis capitis partibus efficitur, ex quo in acutum et chronicum, hydrocephalum medici dividere solent.

CAP. VI. HYDROCEPHALUS INTERNUS ACUTUS.

CHARACTER.

Inflammatio encephali paulatim adoriens; impuberes, rarissime adultos et aetate florentes, provectiores ferme nunquam afficiens; primum lassitudine, febricula et capitis dolore; deinde pulsu tardiore et inaequali; demum pulsu frequentissimo at aequali, pupillae amplificatione, et somnolentia: calore corporis parum, si omnino, cum arteriarum pulsu variante.

SYMPTOMATA.

Signa, quibus hydrocephalus internus acutus cognoscitur tribus in stadiis dividi possunt.

In primo stadio et inter morbi initia languet aeger, nausea, saepe vomitu vel altera vice quotidie tentatur; capitis dolor regionem superciliarem, verticem vel cervicem lancinat, nonnunquam cum ventriculi affectionibus alternat; caput aliquando ad unum magis quam ad alterum latus inclinatur; lumen oculi refugiunt; plorat et vigilat plerumque miser vel si quando dormit horrificis brevi somniis discutitur; si adsit somnus, dentibus nonnunquam frendet et nasum digitis carpit; alvus plerumque astringitur, vel materiem subviridem transmittit; pulsus ab morbi initio frequentior quam in sanis invenitur. Signis supra memoratis invalescentibus, strabismus aliquando accedit, pupilla paulum dilatatur, vomitio increbrescit, capitis dolor eousque intenditur et spirandi difficultas urget, calor corporis, capitis praecipue augetur, febris tunc instat et sub vespere gravescit, vultus rubedine subinde obducitur. Septimo vel decimo quarto morbi die stadium secundum apparet. Arteriarum pulsus hucusque citatiores, mirum in modum tardescunt, inaequales et intermittentes evadunt; dolor aliquantulum mitescere vide-

tur; sopore vigiliam stadii prioris excipiente, in comam tandem incipit aeger, manibus capiti saepe admotis; strabismus augetur; pupillae magis dilatantur et caecus denique fit omnino; vomitus cessat; avide oblatos cibos aeger devorat; alvus manet astricta; nonnunquam tamen hoc tempore vermes inferius dejiciuntur, vel quaedam vermibus similia sine ullo morbi levamine. Sub hujus stadii finem mentis alienatio supervenit, miserrimus aeger perterritus horrendos clamores tollit.

In tertio stadio morbus novam induit formam. Arteriarum pulsus aequales fiunt sed adeo frequentiores ac imbecilles ut vix ne vix numerari possint; in soporem incidit aeger, et si excitatur, quaedam submissa ac indistincta voce mussitat; pupillae nimium sunt dilatatae; oculi sanguine suffusi; facies pallida; cutis, praecipue artuum, maculis rubris variatur; spiritus difficillime et cum stertore trahitur; alvus foeces, vesica urinam involuntarie excernunt; dysphagia et paralysis apparent; dirae tandem convulsiones miserum e vivis eripiunt.

CAUSAE.

Causae remotae sunt febres tam remittentes quam continuae; rheumatismus; catharri; exanthemata, praecipue variolae, rubeola, scarlatina; dolores colici; vermes intestinales, praecipue taenia vesicularis; caput frequenter et diu demissum; dentitio; dysenteria; insolatio; scrofulae; ulcera subito exsiccata; mollities ossium cranii; tinea capitis vel crusta lactea suppressa; causae quae omni hydropi sunt communes. Causa proxima esse videtur cerebri alicujus partis inflammatio, vel actio aucta effusionem inducens.

DIAGNOSIS.

Cephalalgia cum vomitu, lucis impatientia, motus fastidium, alvi durities, si aeger manibus subito caput prehendat, et morbo invalescente strabismus pupillaeque dilatatae, hydrocephalum ab aliis morbis distinguunt.

PROGNOSIS.

De hujus morbi eventu judicium est anceps. Stupor, oculorum caligo, pulsus debilis et frequens, infausta sunt signa.

In cadaverum sectione cerebri vasa semper turgida conspiciuntur et ventriculi effuso humore distenti. Humor in cerebri ventriculis contentus modo pellucidus, subflavus, modo aliquantum est ruber, qui vel in uno tantum latere continetur vel utrosque ventriculos distendit. Nonnulli tumores in diversis cerebri partibus, plexus choroides morbosos vel hydatidibus refertos, cerebri substantiam flaccidam et pallidi coloris invenerunt.

CURA.

Sanguinis missio generalis vel topica, praecipue in morbi primo stadio; cathartica, nempe jalappa cum calomelano vel alöe; litus mercurialis; epispastica invicem excipientia et applicationes frigidae capiti; digitalis purpurea; sed praecipuum in hoc morbo remedium mercurius dulcis est, cujus doses sat largae exhibendae sunt; errhi-

na ut hydrargyrus vitriolatus proportione grani ad sacchari in pulverem triti grana quindecim, in nares inflatu; setacea, aut fonticuli in parte capiti proxima sunt faciendi; frictiones praecipue ad spinam dorsi; ictus electrici lenes ad caput admoti. In secundo et ultimo stadio, cinchona, vinum, et opium. An moschus?

Burserius, Inst. sup. cit. Tom. III. §. 35. pag. 28.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. VI. P. I. §. 737. seq.
Gaudelii, Diss. de hydrocephalo. Vid. Frank Delect. opuscul. sup. cit. Tom. 12.
Ludwig, Diss. de hydrocephalo. Vid. Baldinger Sylloge sup. cit. Vol. V.
Odier, Vid. Hist. de la Societé de Medicin. 1779 p. 194.
Quin, Diss. de hydrocephalo. 8.° Edinb. 1779.
Whytt, Observations on the dropsies of the brain, 8.° Edinb. 1768.

CAP. VII. HYDROCEPHALUS CHRONICUS.

SYMPTOMATA.

Morbus hic lenta habet initia, humor sub cranio effunditur; intumescentia pressa haud cedit, nec tactu mollis est, nisi infantis ossa sint plurimum tenera. Caput magna in mole augetur per omnem suam

circumferentiam, rarissime in alterutro latere; ossa ampliantur, attenuantur, ita ut suturae omnes vel aliquae dehiscant, et a se invicem recedant, quae dehiscentia facile digitorum pressione deprehendi potest; ossa extenuata, pellucida fiunt et aqua per ea translucere videtur; arcus superciliarii elevantur, et caput magno pondere oppressum vix humeris erectum stare potest. Nonnunquam vero cranii ossa miro in modo augentur, magis crassa evadunt, et caput fere giganteum efformant; facies versus latera extenditur, et oblique se ferens suam formam amittit. Colluvies aquosa varias cerebri partes comprimit et distendit, ex quo symptomata varia apparent. Aeger somniculosus, macilentus, piger et pavidus est, clamores saepe mittit; stupore, cephalea, et lassitudinis sensu vexatur; corporis nutritio retardatur; sensus imminuuntur, praecipue visus et odoratus; musculorum tremor, ita ut ambulans semper trepidet, et vacillet; convulsiones. In nonnullis sensus integri manent, sed imbecilliores sunt.

Haec hydrocephali species lente augetur, ut plurimum infantes per unum, duos tresve annos hoc morbo laborant, nec de-

sunt exempla hydrocephali chronici, qui per quatuordecim annos perstiterit. Aliquando morbus diuturnus evadens, intra certos limites continetur per plures annos, nec amplius augetur.

CAUSAE.

Omnes causae, quae hydrocephalum acutum producunt, chronicum etiam excitare valent. Sunt qui congenitae embryonis formae hujus vitii ortum reducere amant.

CURA.

In chronici hydrocephali cura nihil fere ars medica valet; melius est huic morbo nullam adhibere medicinam, cathartica enim, ossium perforatio aut suturarum sectio, quae a nonnullis laudantur, aegri mortem sollicitant.

Ekmark, Diss. de hydrocephalo interno. Vid. Sandifort Thesaurus Dissert. 4.° Vol. 3. Lugd. Bat. 17. Vol. II. pag. 325. seq.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. VI. p. 1. §. 337.
Gaudelius, Loc. sup. cit.
Ingrassias, De tumoribus praeternaturalibus. fol. Neap. 1555.
Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. I. Epist. X. n. 8.
Sauvages, Nosolog. method. sup. cit. Tom. II. p. 226.
Wepherus, Oper. sup. cit.

CAP. IX. HYDRORRHACHIA, SEU SPINA BIFIDA.

CHARACTER.

Humoris in cavo columnae vertebralis collectio cum tumore molli, exiguo, aut hiantibus vertebris magno, vel nullo, et cum paralysi artuum inferiorum.

SYMPTOMATA.

Morbosa humoris colluvies vel in cavo columnae vertebralis effunditur sine ullo externo tumore, vel, fissa columna vertebrali, externe tumor prominet. Symptomata, quae internum columnae vertebralis hydropem designant, obscura et ambigua semper sunt, ut difficillime recenseri possint. Attamen si post medullae spinalis inflammationem, graviorem lumbaginem, encephalitim vel acutum rheumatismum cum febre synocha, subsultus tendinum, convulsio ad brachia, vel ad universum corpus superveniant; si ardor et dolor gravativus columnae vertebralis iter sequentes cum extremitatum inferio-

rum paralysi, unius vel alterius vertebrae dorsalis distorsione accedant; si apoplexiae phoenomena cum vesicae vel ani sphincteris resolutione adsint, tunc de internae columnae vertebralis serosa colluvie est semper dubitandum. Hydrorrhachiae externae signa sunt magis manifesta. Tumor apparet in regione lumbari a secunda ad quintam usque vertebram, vesicae vel pyri formam referens, mollis, pallidus, haud dolens et vix fluctuans, digitis cedit nec pressionis vestigia retinet, sed augetur dum puer vel ejulatus mittit vel alvum cum nisu deponit; nonnunquam ex membranis extenuatis humor transparet pellucidus, artuum inferiorum, vesicae ac intestini recti paralysis et impotentia pedibus insistendi adsunt. Si tumor manu comprimitur, dum puer dorso incumbit, convulsiones excitantur, vel sopor et hydrocephali signa apparent. Rupto tumore gangraena, convulsiones, animi deliquia et mors subsequuntur.

CAUSAE.

Causae remotae sunt spinae vertebralis inflammatio; morbosa ossium vertebralium

conformatio congenita; lumbago; rheumatismi praecedentes; quaecunque vim foetui inferunt, uti lapsus, uteri gravidi compressio; omnes aliae causae hydropes excitantes.

PROGNOSIS.

Infausta semper est, vix enim hydrops columnae vertebralis sanari potest, infantes post aliquot menses a partu enecantur, nonnulla tamen habentur exempla, quae perfecte curatum hunc morbum demonstrant.

CURA.

Eadem est ac in hydrocephalo. Remedia quae alvum apertam servant; fomenta tonica et astringentia spinae bifidae apposita, ne tumor rumpatur; fonticuli ex utraque parte spinae; sed in morbo tam diro melius est nihil agere, quam citius aegris exitium inferre.

Burserius, Inst. sup. cit. Vol. III. §. 45. seq.
Commerc. Litter. Nor. ann. 1741.
Fleischmann, De vitiis congenitis circa thoracem et abdomen. 4. Erlang. 1810.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. VI. P. I. §. 737.
Morgagni, Op. sup. cit. Tom. I. Epist. XII. n. 10.

CAP. X. HYDROTHORAX.

CHARACTER.

Humoris morbosa colluvies in uno vel altero thoracis cavo.

Varia habet nomina pro variis quas occupat pectoris partes. Humor enim effusus, vel in quodam particulari sacco a pleura efformato, colligitur, vel in alterutrum thoracis cavum effunditur; si in pulmonum parenchymate haeret, *oedema* efficit *pulmonum*; si in mediastini cavitate vel in pericardio stagnat, *hydrops mediastini*, vel *hydropericardia* dicitur.

SYMPTOMATA.

Incipit plerumque sensu ponderis et anxietatis versus imam sterni partem; summa inter recumbendum spirandi difficultas, quae augetur vel in locorum acclivium ascensu, aut post motum; sitis inextinguibilis; tussis initio sicca, postea humida; urina parca, multum colorata et copiosum sedimentum deponens; faciei pallor; pedum oede-

ma; cutis arida et rigida est; alvus plerumque adstricta; pulsus debilis et inaequalis; extrema frigida; brachiorum torpor; pectoris oppressio molesta. Ubi in altera tantum pectoris parte aqua colligitur, facilis decubitus in affectum latus, et brachium ejusdem lateris magis est torpidum; aeger perterritus e somno excitatur cum sensu ponderis et palpitationis; somniis terrificis exagitatur; aqua in pectore fluctuans. Adveniente die symptomata paulisper cessant, et somnum aeger capit. Aucta tamen aquarum copia suffocatio et mors scenam claudunt. Signa aliarum hydrothoracis specierum magis dubia sunt.

In hydrope pericardii facies est rubicunda; aeger delirio corripitur; auditus gravis; tussis sicca sub nocte aucta; spirandi difficultas, minor vero quam in hydrothorace; decubitus in dorsum difficilis, facilior corpore antrorsum inclinato; conversio in utrumque latus facilis; animi deliquium frequens; arteriae inordinate se movent, modo enim pulsus sunt debiles, modo inaequales et intermittentes; dolor gravativus sub sterno in cordis regione; cordis motus inaequalis, inordinatus vel oscillatorius in-

ter quintam et sextam costam percipitur. Morbo aucto sputa sanguinea aliquando apparent; febris accedit; extremitatum oedema, precipue brachii et manus sinistrae; facies, maxime labia et palpebrae intumescunt; vox rauca evadit et debilis; sopor et jactatio cum suffocationis sensu; artuum tumores decrescunt; convulsiones et mors.

CAUSAE.

Causae remotae sunt cibus parcus et aquosus; coelum frigidum humidumque; iners et desidiosa vivendi ratio; venus immodica; nimia corporis exercitatio; animi affectus deprimentes; timor et tristitia; narcoticorum, ut opii, theae, coffeae abnormis usus; sanguinis evacuationes immodicae; habitatio humida et paludosa; pulmonum tubercula; fractura aut costarum luxatio; pneumonia; mala pectoris conformatio; aneurysmata cordis vel vasorum majorum; exanthemata retropulsa; pericardii inflammatio et omnia quae vasorum exhalationem adaugent et vim resorbendi imminuunt.

DIAGNOSIS.

Ab empyemate internoscitur quod in eo inflammatio fuit, febris hectica est, quibus hydrothorax caret.

PROGNOSIS.

Infausta est fere semper hujus morbi prognosis. Si ab organica cordis vel vasorum majorum affectione oritur; si aeger aetate est provectus ac debilis morbisque jam fractus, si urina parca, maxime colorata et copiosum sedimentum deponit; si appetitus prostratus et sitis inextinguibilis adsunt; si respiratio difficilis, nec nisi erecto trunco exercenda; si febris, paralysis, coma vel delirium apparent, tunc exitus infaustus imminet.

CURA.

Venae sectio ut plurimum nocet, sed si pulsus sunt pleni, duri et respiratio valde difficilis caute est adhibenda; remedia quae urinae secretionem promovent sunt usurpanda, praecipue digitalis purpurea; col-

chicum; scilla opio et hydrargyri praeparationibus conjunctis, vel cum roob sambuci; cathartica; epispastica pectori, et omnia ad anasarcam aptata. Paracentesis?

AVENBRUGGER, inventum novum ex percussione thoracis etc. 8.° Vindob. 1761.
Atti dell' Accad. di Siena. 4° Tom. III. pag. 232.
BACHER, Recherches sur le malad. chroniq., et sur les hydropisies 8.° Paris 1776.
CORVISART, maladies du coeur sup. cit.
GONTER, Diagnosis morb. pectoris. 8.° Viennae 1764.
MILMAN, de hydrope sup. cit.
MONRO, Traité de l' hydropisie etc. 8.° Paris 1789.
MORGAGNI, Oper. sup. cit. Epist XVI. et XXXVIII.
SENAC, Traité de la structure du coeur sup. cit. Tom. II. Lib. IV. cap. V. pag. 316.
TESTA, Malattie del cuore sup. cit. Part. II.
Vide etiam BURSERIUM, DE HAEN, CAROLUM PISONEM, VAN-SWIETEN, FRANK, STOLL etc.

CAP. XII. ASCITES.

CHARACTER.

Humoris serosi vel lymphatici in abdominis cavo vel in ejus partibus collectio. Aquosa colluvies vel in cavo abdominis et in peritonaeo tota inclusa, vel in sacco a peritonaeo ejusque membranis duplicatis ef-

formato colligitur, unde ascites in *saccatum* et in *abdominalem* dividitur.

SYMPTOMATA.

Ascites abdominalis vel rapide accedit; vel lente progreditur et per plures annos suam formam haud ostendit. Signa quae prius apparent sunt hydropis generalis symptomata; urina parca et rubra cum sedimento mucoso; sitis magna; vespere appetente, pedes intumescunt, intumescentia per crura, femora et genitalia ad abdomen ascendit; abdomen aquis distentum et percussum tympani sonum edit, et quo plus magnitudinis sibi acquirit, eo magis respiratio fit anxia; appetitus deficit; facies et brachia emaciantur; cutis pallida vel subflavi coloris est. Signis ingravescentibus, tussis sicca accedit; fluctuatio percipitur, si una manu lateri ventris leviter imposita, altera latus oppositum percutitur; dolor in epigastrii regione lancinans; alvus pertinaciter est adstricta; vultus pallidus et tumidus; febris hectica; coma tandem et animi deliquia sub morbi finem superveniunt.

In ascite saccato vel cystico tumor est

circumscriptus, morbi saltem initio; lente increscit, sed appetitus et digestio integre manent; ponderis adest, tensionis et pressionis sensus in aliqua abdominis parte; tumor, si comprimitur, locum non mutat et nulla fluctuatio percipitur; urina turbida est; alvus adstricta; sitis fere nulla; respiratio magis libera quam in alia ascitis specie; sed si tumor nimium auctus diaphragma et thoracem comprimit tunc respiratio difficilis. Haec hydropis species diuturnum efficit morbum, qui per longum protrahitur tempus, donec consumptio et hectica febris apparent, quae mortem sollicitant.

CAUSAE.

Inflammatio peritonaei; frigus abdomini admotum, corpore prius calefacto; vasorum lymphaticorum abdominis ruptura; viscerum abdominalium morbi, praecipue hepatis, splenis, pancreatis etc. tumores; evacuationes solitae suppressae; diuturnae febres hyposthenicae et intermittentes; contusiones et externae violentiae abdomini illatae; an systematis absorbentis paralysis?

DIAGNOSIS.

A timpanitide fluctuatione, magna abdominis mole, et intumescentiae forma, magis in latera anterius compressa, quam prominente dignoscetur. Ab hydrope ovarii discernitur, tumore qui in hujus morbi initio, in uno tantum latere percipitur et respiratione minus laesa, quam in ascite.

PROGNOSIS:

Vires multum imminutae; somnolentia; coma; respiratio valde laboriosa; viscerum abdominalium vitia organica; dolores abdominis lancinantes infausta sunt indicia.

CURA.

Si acutae hydropis signa adsint, et aeger plethoricus sit et aetate florens, venae sectio et methodus antiphlogistica; emetica, praecipue ipecacuanha; cathartica, ni alvus sit soluta; abdominis frictio diuturna digitis in oleo primum mersis; omnia alia remedia hydropi aptata et superius jam re-

censita. Si ab statu viscerum morboso oriatur, hydrargyri praeparationes; paracentesis; post aquarum evacuationem, si aegri vires sint nimium fractae, lenia excitantia sunt utenda. Hydrops saccatus remediis internis difficillime respondit, nec parecentesis multum prodest, imo gangraenam et infaustum eventum sollicitat.

Alpinus Prosper, De praesag. vita et morte. 4.° Lugd. Bat. 1733.

Frank, Oper. sup. cit. Lib. VI. P. I. §. 743.

De Haen, Rat. med. sup. cit. Tom. XI. cap. 5.

Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. II. Epist. XXXVIII. n. 47. 48. 49.

Monro, Essai sur l'hydropisie sup. cit.

Piso Carolus, Oper. sup. cit.

Sennert, Opera omnia fol. Vol. 6. Lugd. 1666. vid. Lib. III. P. III.

Van-Swieten, Oper. sup. cit. Tom. IV. §. 1215.

Vogel Aug., De hydrope peritonaei saccato etc. 4.° Gotting. 1761.

CAP. XIII. HYDROMETRA, SEU HYDROPS UTERI.

SYMPTOMATA.

Initio morbi, signa apparent quae graviditatem mentiuntur; dolores adsunt ad lum-

bos; tumet abdomen; menstrua cessant, vel pauca in copia fluunt; tumor circumscriptus in regione pubis observatur, cito increscens, et aequabilis; urina parca; sitis magna; mammae flaccidae collabuntur. Tumor auctus totum abdomen occupat, ita ut cum graviditate confundi possit, sed si foetus motus non percipitur, si adest dispositio hydropica, si tumor paulatim sine gravi aegrae incommodo et facie parum mutata augetur, si morbus diutius quam graviditas persistit, si pedum oedema apparet et os uteri tenue fit, tensum et contractum tunc uterum hydrope laborare colligi potest. Serosa colluvies vel in uteri substantia stagnat vel fluctuans in ipso uteri cavo haeret et cum graviditate conjungitur. Accidit etiam ut vesicae aqua plenae, hydatidum formam referentes ad uteri superficiem internam vel externam aut ad placentam sint accretae. Quae uteri hydropis species difficillime dignosci potest. In hoc morbo functiones systematis sunt parum laesae, quodsi uteri intumescentia diaphragma sursum trudit, difficilis respiratio, tussis et anxietas summa superveniunt. Quamplurima oriuntur mala ex hoc morbo diuturno,

quae macie totius corporis et febre hectica in mortem desinunt.

CAUSAE.

Causae excitantes sunt mensium suppressio; abortus; uteri inflammatio; oris uteri vitia organica vel tumores illum comprimentes; placentae portio vel grumi sanguinei os uteri occludentes.

PROGNOSIS.

Si a vitio organico uteri pendet, si cum anasarca conjungitur, si animi deliquia, cordis palpitatio et summa virium debilitas adsunt, dubia erit prognosis.

CURA.

Eadem ac in aliis hydropis speciebus, sed cura diversa est, secundum causarum diversitatem.

Astruc, De morb. mulier. 4.° Vol. 2. vid. Venet. Vol. II. pag. 52.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. VI. P. I. §. 744.
Hippocrates, De morbis muliebribus. Vid. Gynec. sup. cit. Tom. III. Lib. I. Sect. I.

Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. II. Epist. XXXVIII. n. 67.
Monro, Essai sup. cit.
Wan-Swieten, Comm. sup. cit. Tom. IV.

CAP. XIV. HYDRARTHROS.

CHARACTER.

Articulorum vel capsulae articularis, genu potissimum, tumor, parum primo eminens, cuti concolor, dolentissimus et mobilitatem imminuens.

Varia hic morbus apud medicos et chirurgos habet nomina, hydrarthros seu tumor albus ab anglis dicitur, fungus articulorum a Germanis, et quidem a simplici capsulae articularis hydrope est distinguendus, qui a morbis diuturnis vel longa convalescentia in corpore debili et diuturna aegritudine laxato oritur. Dividitur hydrarthros secundum loca, in quibus humor effunditur et ratione causarum aut diversae systematis indolis, quae serosam colluviem promovent. In rheumaticum et scrophulosum ab Anglis solet distingui; sed melius fortasse est in *profundum* et *superficialem* eum sejungere.

SYMPTOMATA.

Hydrarthros superficialis incipit plerumque dolore anterioris genu partis, vel poplitis; dolor modo nullus est, modo obtusus, auctus sub motu, frigore, lecti calore et tempestatum varietate; genu immobile remanet; tumore aucto, venae fiunt varicosae; si comprimitur, crepitus percipitur in illa parte, ubi tibiae inseritur patellae ligamentum; coloris expers, amota manu, tumor resilit et mole augescit; cutis quae supra est nec nimis calida, nec valde sensilis invenitur. Artus semper flexus rigescit, extendi haud potest, anteriora versus curvatur et incessum difficilem reddit; si artus in parte interna magis tumet, ossium extrema dislocantur et membrum obliquum remanet; glandulae inguinales nonnunquam tumescunt et dolent; crus et femur marcescunt. Morbus diuturnus evadens signis gravioribus stipatur. Dolores et tumor augescunt; aedema partis inferioris apparet; suppuratio accedit tumoris in diversis locis quae in ulcera mali moris abeunt et ex quibus humor tenuis, subalbidus, vel feculentus effundi-

tur, qui seri lactis vel cerevisiae speciem refert, vel glutinosus et viscidus est; febris hectica accedit; pulsus arteriarum citati; sudores colliquativi; diarrhoea et mors ipsa superveniunt, si manus chirurgica opportune membrum non amputet: Hydrarthros profundus sive scrofulosus a priori est fere diversus. Tribus periodis ejus decursus, signis distinctis, stipatur; interne usque ab initio in ossibus et ligamentis sese manifestans, majoribus comitatur doloribus et magis circumscriptus est, lente procedit, prementibus digitis non facile cedit, nulla observatur cutis mutatio. Morbus in ossibus magis prius habitans, in secundo stadio ad partes molles transit; dolor atrocior fit; cutis levis et nitida. In tertio stadio tumor mollis evadit, humores acres facti, materiem sebaceam sensim foetidissimam transmittunt; anteriora versus aperto tumore, caries ossa destruit, unde fistulae oriuntur plures, et ulcera sinuosa ad ipsum articulum.

CAUSAE.

Causae remotae sunt coelum humidum et mutabile; diaeta tenuis; aër insalubris;

rheumatismus; suppressa sanguinis profluvia; dysenteria; exanthemata retropulsa; ictus, percussiones et genuum variae laesiones; sed praecipue labes haereditaria, nam strumosos, scrophulosos et rhachiticos magis afficit.

DIAGNOSIS.

Difficilis est hujus morbi diagnosis, quamplurima enim adsunt mala, quae hunc referunt. Humor vel in tela cellulosa subcutanea vel inter fasciam et artus capsulam vel in bursis mucosis contineri potest. Si in tela cellulosa effunditur facile dignoscetur, sublata pressione tumor non resilit. Si inter capsulam et artum sit, initio tumor est circumscriptus, inter femoris musculos humor diffunditur, et digito premente fluctuatio exterior sentitur. Si in bursis mucosis colluvies adest, tumor est mollis, exiguo circumscriptus loco, et parum est dolens et artus facilius movetur. Ab abscessu articuli, hydrarthros facile distinguitur signis inflammationis praegressae et omnibus, quae phlegmoni pertinent symptomatibus. Hoc malum a simplici capsulae articularis hydrope secernitur, in hydro-

pe enim capsulari, dolor vel nullus vel mitior est, articulum post motum inflexum fluctuationem infert, tumor bilateralis est, ex una parte, si comprimitur, in oppositam transit et patellae motum non impedit. A spina tandem ventosa difficillime cognosci potest, spina attamen ventosa raro occupat genu, plures et minores articulos corripit, infantes potius quam adultos aggreditur.

PROGNOSIS.

Morbus diu durans, dolores acerbissimi osteocopi, sub motu etiam levi ingravescentes, color tumoris lividus, sinus fistulosi, ossium protuberantia, ossium caries, ichoris foetidi, nigri effluxus et febris hectica, infaustum exitum denunciant. Si malum e causis externis ortum duxerit, aut si rheumatica dispositio praecesserit, si aeger bono corporis habitu sit praeditus, si tumor decrescat et dolor ac alia symptomata gradatim cessent, spes adest salutis. Morbo feliciter discusso, articuli debilitas remanet vel rigiditas et insuperabilis contractio, patella immobilis videtur, pes eundo vacillat, artus brevior gressus regulares haud firmare valet.

CURA.

Hujus morbi cura magnis stipatur difficultatibus, remedia enim interna et topica haud semper valent: attamen diversa est methodus curandi, secundum causarum, gradus morbi, ejusque complicationum differentias. Interne laudantur remedia quae absorptionem adaugent, emetica, praecipue tartarus emeticus, repetitis et exiguis dosibus ad nauseam tantum ciendam; antimonialia uti sulphur auratum antimonii; kermes minerale; extractum aconiti; extractum cicutae; digitalis purpurea, sed optimum erit remedium calomelas, vel mercurius solubilis Hanemanni; si vires sint nimium fractae, cinchona vel sola vel opio mixta; diaeta nutriens et digestu facilis; aeris puri et liberi usus. Medicamenta externa efficacissima sunt et merito quidem laudantur. Si tumor articularis in robustis post luxationem, contusionem aut ictum apparet, methodus antiphlogistica; venae sectio; hyrudines lateribus genu applicatae, et si dolor tensivus sit cataplasmata emollientia sunt applicanda, qualia sunt cataplasmata fari-

nosa calida cum floribus sambuci, trifolii et verbasci cocta, sapo cum gummi ammoniaco solutus, oleosa cum herbis emollientibus cocta; juvant etiam fotus ex sale ammoniaco et aceto: sublata inflammatione vesicatoria ad utrumque genu latus. Morbo protracto, si genu multum tumet, prominet aut dolet multa externa remedia a medicis recensentur, quae haud semper respondent; inunctio cum linimento volatili, cum unguento mercuriali, vel cum spiritu vini camphorato, aut cum tinctura cantharidum; frictiones manu nuda vel panno aspero, balnea sulphurea et stillicidium sunt remedia quae haud frustra adhiberi possunt. Sed prae omnibus exulcerationes frequentes et fonticuli respondere videntur, resorptionem enim adaugent; fonticuli sunt faciendi in ea genu parte, quae maxime dolet. An moxa? An electricitas? An paracentesis? Auxiliis internis et externis incassum tentatis, artus separatio a manu chirurgi est facienda.

Brambilla, De fungo articulari. Vid. Acta Accad. Caes. Joseph. etc. 4.° Vindob. 1788. Tom. I. pag. 1. seq.
Becker, Diss. de fungo articulari. 4.° Rost. 1793.
Cheston, in Richter Bibl. Chir. V. B. p. 266.

Crowther, On white swelling. Vid. Medical. facts and observations Vol. IV. n. 14.
Lachmann, Diss. de fungo articuli. 4.° Viteb. 1799.
Monteggia, Istit. chirurg. sup. cit. Tom. II. p. 305. seq.
Reimar, Diss. de fungo articulorum. 4.° Lugd. Batav. 1735.
Simpsom, Vid. saggi di medicin. d'Edinb. sup. cit. Tom. IV. cap. 304.
Vid. etiam Op. Bell, Heisteri, Flajani, Bertrandi, Richter et Volpi, in notis ad Richter observationes medico-chirurgicas.

INTUMESCENTIAE SOLIDAE.

CAP. XV. RHACHITIS.

CHARACTER.

Caput magnum, anterius vel maxime tumens, genicula tumida, costae depressae, abdomen tumidum cum caeterarum partium marcescentia.

SYMPTOMATA.

Incipit plerumque inter nonum aetatis mensem annumque secundum. Infans morosus et piger evadit, hilaritatem amittit,

nec recte pedibus innititur. Lassitudo inusitata cum musculorum flacciditate, vultu pallido, tumido, motus et exercitationis aversatione comparet. Caput, ut in iis qui sint hydrocephalo correpti, tumet, praecipue sinciput et gravius antrorsum inclinatur; ambitu aucto, suturae discedunt; saliva copiosa ex ore fluit; ingenium premature evolvitur et acutum est; artus magnopere tument; nimia ciborum cupiditas; urina turbida est et acidum odorem refert; ructus acidi; glandulae tumidae evadunt. Ossificatio perturbatur et ossa vel tarde indurantur, vel emolliuntur et curvantur; sternum acutum et prominens evadit; columna vertebralis curvatur; costae sunt depressae; capita articularia intumescunt et breviora fiunt; musculi relaxati et debiles sunt; alvus pertinaciter est adstricta; abdomen tumidum fit; dentes tardo erumpunt et cito delabuntur; extremitates longiores sunt et magis exiles, si cum trunco comparentur; respiratio anxia, praecipue loca acclivia ascendendo; vox gracilis et aliquando rauca. Morbus vel diutius protrahitur vel brevi cursum explet; ossium caries cum febri hectica accedit; partium nutritio deficit;

glandularum tumores, visus obscuratio, animi deliquia et convulsiones proximam mortem annunciant. Nonnunquam vero rhachitis arte vel natura sanatur, sed habitus semper remanet rhachiticus per totum vitae decursum, itaut viscera pectoris et abdominis gravissima, stricto thorace coercita muneribus suis nunquam recte fungi possint.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt debilitas; aër humidus et impurus; lac minus nutriens; victus crudus; labes haereditaria habitus corporis scrofulae obnoxius; exanthemata uti variolae et scarlatina; lapsus et compressio nimis longa. Causa proxima esse videtur materiei ossium defectus, nam in hoc morbo calx phosphorica absorpta gelatinam et albumen soluta relinquit.

PROGNOSIS.

Si ossa sint nimium curvata, si abdomen tumidum, si hydropis signa, convulsiones et febris hectica adsint, morbus vix sanatur. Si vero diu protrahitur, si nutri-

tio restituitur, signis debilitatis cessantibus, spes adest salutis, praecipue si pubertatis tempore accedente, symptomata rhachitidis cessant.

Post obitum ossa cerae mollitiem habent, et spongiosa videntur; cadavera quamdam caloris et flexibilitatis speciem referunt; musculorum textura laxa et tenera; viscera nonnulla abdominalia, praesertim jecur, praeternaturali magnitudine et tumida; glandulae mesenterii obstructae et induratae.

CURA.

Ratione causarum eam producentium est instituenda. Si saburrae gastricae vel vermium signa adsint, emetica, purgantia lenia et remedia quibus vermes enecantur vel expelluntur. Si victus nimis crudus et parum nutriens fuerit, diaeta nutrienti, tenui ac fermentationi minus prona sunt vires restaurandae. Contra rhachitidem juvant ferri et zinci praeparationes rhabarbaro conjunctae; cineres clivellati; sal alcalinum vegetabile; magnesia parva in dosi, sed repetita; sapo; tonica uti cinchona; rubiae tinctorum decoctum; corporis pannis laneis

vel cum aromaticis frictio; balneum frigidum; exercitatio et aëri sicco expositio. Prophylaxis exercitatione et lavatione frigida est petenda: an balneum tepidum?

Adest alia mollitiei ossium species, *osteomalacia adultorum* dicta, quae in scorbuticis, scrofulosis, vel a lue venerea aut arthritide affectis conspicitur. Hoc in morbo ossa paulatim duritiem et firmitatem amittunt, et in mollem abeunt materiem, vel resoluta instar gelatinae liquefacta inveniuntur. Maxima oritur corporis deformitas, summa adest musculorum debilitas et totius systematis languor; dolores arthriticis et rheumaticis similes aegros excruciant, praecipue sub motu; urina materiem quandam calci simillimam relinquit, et fusca, spissa et foetida est; respiratio difficilis: morbo aucto, febris accedit; pulsus parvi et celeres sunt; cutis calor urens; macies summa cum vultus rubore circumscripto; sudores tandem glutinosi ac viscidi, qui cutis pruritum intolerabilem excitant et vitam miserrimam auferunt. Hac morbosa mollitie vel tota ossium compago, vel quaedam tantum corporis ossa corripiuntur.

Cura secundum causarum varietatem est

dirigenda. Si ex causa syphilitica oritur; mercurialia sunt utenda. Si cum scorbuto conjungitur, remedia excitantia, cinchona, aether, acida vegetabilia, absinthium, calamus aromaticus, quassia etc.; clysmata nutrientia sunt injicienda. Si diathesis arthritica praecesserit, tunc remedia alcalina, sapo, aqua calcis, mercurius dulcis et quae arthritidi sunt idonea. In osteomalacia partiali, si os affectum sine periculo auferri potest, tentata prius cura interna, amputatio a chirurgo est facienda.

Buchner, in Haller, Disput. medic. Pract. VI. n. 202.
Conradi, Diss. de osteomalacia. 4.° Gotting. 1796.
Glisson, De rhachitide. 12. Lond. 1647.
Hoffmann, Oper. sup. cit. Tom. IV. P. IV.
Plank, Diss. sistens osteosarcoseos morbum. 4.° Tubing. 1781.
Petit, Traité des maladies des os. 8.° Vol. 2. Paris 1758. vid. Tom. II. P. I.
Portal, Observations sur la nature du rhachitisme etc. 8.° Paris 1797.
Soemmering, Malattie dei vasi linfatici, sup. cit.
La Vacher, Traité du rhakitis. 8.° Paris 1772.
Zeviani, Trattato della cura dei bambini attaccati da rachitide. 4.° Verona 1761.
Vid. etiam oper. cit. Rosensthein, Amstrong, Girtanner, Frank, Morgagni etc.

ORD. III. IMPETIGINES.

CHARACTER.

Cachexiae, cutem et externum corpus praecipue deformantes.

CAP. I. SCROFULA.

CHARACTER.

Chronica systematis lymphatici affectio cum tumoribus glandularum et vasorum lymphaticorum atonia.

SYMPTOMATA.

Scrofulae symptomata diversimode se habent pro varia morbi sede. Systema lymphaticum est praecipue affectum, glandulae tument praesertim in collo, sub axillis, ad mammas, et ad inguina, quandoque glandulae mesenterii et pulmones ipsi afficiuntur. Tumores pisi vel nucis avellanae

vel majoris etiam magnitudinis sunt, doloris expertes, duri, inaequales tactu; et digito prementi cedentes, tandem suppurati et aperti materiem caseosam vel gypseam mittunt, in ulcera mali moris, ad sanandum perdifficilia, abeuntes. Si pulmones afficiuntur, dyspnoea, asthma et phthisis oriri possunt; si glandulae mesenterii intumescunt, tabes, hydropes et febres lentae superveniunt; si in capite et in columna vertebrali eorum actio haeret, hydrocephalus, epilepsia, tumores encephalum comprimentes, et spinae distorsio, kyphosis vel articulorum tumor comparent. Aliquando vero etiamsi tumores glandularum haud sint manifesti, habitus adest scrofulosus, qui signis sequentibus cognosci potest. Labium superius et nasi columna tumentes sunt; facies florida, rotunda et tumidula; cutis levis et tenera; palpebrarum glandulae ad inflammationem proclives; oculi caerulei coloris, magni et debiles; abdomen tumidum; in rachitidem dispositio. Raro ante secundum aetatis annum apparent, pubertate ineunte frequenter sese abscondunt.

CAUSAE.

Causae praedisponentes sunt labes haereditaria; aër humidus, nebulosus, impurus; victus crudus et parum nutriens; vermes; purgantium abusus; immunditia; vita sedentaria; onania. Causae excitantes sunt, dentitio; pubertas accedens; morbi praegressi; contusiones et vulnera; arthritis. Causa proxima in systematis lymphatici morbosa actione consistere videtur.

PROGNOSIS.

Scrofulae longum et diuturnum sistunt morbum, nonnunquam in scirrhos et strumas degenerant, vel inflammatae in ulcera maligna, cariem, paedarthrocacem, spinam ventosam et in ipsam tabem abeunt.

CURA.

Innumera fere sunt remedia, quae contra scrofulas laudantur, antimonialia refracta dosi; digitalis; barytes muriata; calx muriata; natron praeparatum; spongia ma-

rina usta; aquae chalybeatae, vel sulphureae; ferri et zinci praeparationes; hyosciami extractum; cicuta; belladonna; succi herbarum recenter expressi, uti extracta taraxici, cichorei etc.; hydrargyri praeparationes. Omne systema est roborandum cinchona, aromaticis, opio, amaris; aqua marina ad paucas uncias pota, vel pro balneo adhibita; ponto immersio vasto; balnea calida vel aqua simplici vel saponata, aut cum calce et sulphure parata. Applicationes topicae, quales aqua marina, cerussae acetatae solutio in proportione unciae cerussae ad aquae libram; cinchonae pulv. et cerussa in prioris drachmarum septem proportione ad posterioris drachmam. Si scrofulae apertae fuerint, ulcera inspergenda sunt zinco calcinato; cataplasmata ex oxali acetosella confecta ulceribus et tumoribus.

Hufeland, Uber die natur der skropheln etc. 8.° Jen. 1795.
Kortum, Comment. de vitio scrophuloso etc. Lemgo 1789.
La Louette, Traité des scrophules etc. 8.° Vol. 2. Paris 1785.
Pearson, De scrophulis. 8.° Edinb. 1786.
Roussel, Diss. de tabe glandulosa et usu aquae marinae etc. 8° Oxonii 1750.
Soemmering, Malattie dei vasi assorbenti sup. cit.

CAP. II. SYPHILIS.

CHARACTER.

Morbus contagiosus post concubitum impurum ad genitalia ortus, ulcera tonsillarum, faucium, cutis faciei, praesertim ad marginem capillorum maculis corimbosis, pruneis, aeruginosis obsita, dolores osteocopi nocte exacerbati, exostoses.

SYMPTOMATA.

Morbus hic impuro concubitu, et contactu immediato partium genitalium, ac in infantibus etiam lactatione propagatur. Genitalia post aliquod temporis spatium, plus minusve longum prout partes sensiliores sint et magis dispositae, aut virus venereum magis activum, inflammantur; rubor, pruritus aut caloris sensus adest, aliquando etiam febris apparet, mox exiguae papulae, milii formam referentes cum apice albo exurgunt, quarum bases inflammatae dolores lancinantes inferunt; aliquando papularum loco tubercula exilia, dura et rubicunda oriuntur;

paulo post papulae suppurantur, dehiscunt et paulum ichoris mittunt; ulcera efficiuntur dolentissima, quae calloso circulo, albescente, fundo crasso et lardaceo, cinguntur. Haec venerea ulcera praeputium, frenulum et glandem in viris, partes pudendas in mulieribus obsident, et inter se differunt prout recentia aut diuturna fuerint. Nonnunquam praeputium ante os inflammatione correptum, intumescit, ita ut nudari glans haud possit, quod *phimosis* dicitur; contra si invertitur et tumescens sanguinis circuitum impedit, *paraphimosis* vocatur. Virus interdum absorptum glandulas lymphaticas, praecipue inguinis inflammat, unde bubones nascuntur; si in remotis partibus transmittitur et totum invadit systema syphilidis signa apparent. Febris lenta cum frigoris et caloris sensu; deglutitio impedita, et vox rauca; fauces inspectae, ulcera demonstrant lardacea cum margine calloso, quae amygdalas, uvulam et velum pendulum deturpant; surditas adest, si ulcera tubam Eustachianam obsident; si ad nares ascendunt foetidissimam cum ossium carie ozenam excitant, vel omnia vicina depascunt et horrendos effectus producunt. Do-

lores profundi, atroces et noctu ingravescentes media occupant ossa; superficies externa corporis, praecipue faciei, tuberculis pustulosis humore acri plenis, vel maculis luridis vel lividis daefedatur; exostoses vel gummata venerea exurgunt; febris hectica, macies, aliquando etiam ossium mollities superveniunt et mors.

CAUSAE.

Contagium specificum.

PROGNOSIS.

Syphilis vix sponte sanatur. Ulcera venerea quae nigra videntur, vel quae initio vesiculas cristallinas, pellucidas, et albescentes referunt, pessimae sunt notae, post paucos enim dies gangraenam inducere possunt. Si lues signa apparent, si macies et foeditas totius corporis adest, si aeger continuis osteocopis nocturnisque vexatur doloribus et capilli defluunt; si haemorrhagiae, diarrhoea et consumtio indies augescunt, aeger in praecipiti versatur.

CURA.

Medendi ratio maxime diversis morbi stadiis est dirigenda; ita morbo incipiente virus venerei resorptio est impedienda, deinde effectus virus resorpti curentur oportet. Ulcera quamprimum sunt sananda applicatione argenti nitrati, aeruginis pp., unguenti hydrargyri vel hydrargyri nitrati; si summa adsit partium sensilitas, et inflammatio sit nimium aucta escharotica haud conveniunt, emollientia potius juvant: ad bubones recentes hyrudines parti tumefactae sunt applicandae, et postea vesicatorium: ad verrucas, pulvis sabinae, ammonia muriata, tinctura ferri muriata etc. Contra luem veneream quamplurima a medicis remedia fuerunt tentata. Sunt qui decoctum salsaeparillae, ligni sassafras, santali rubri, smilacis asperae, et ligni guajaci laudant; lobelia syphilitica, gratiolae radix vel extractum, astragalus excapus, daphne mezereum, opium et acidum nitrosum nunc temporis beneficio saepe utuntur. Nuperis hisce temporibus aurum muriatum contra syphilidem praedicarunt nonnulli, sed hoc, ut alia remedia, medi-

eorum votis haud semper respondent. Praecipuum in hoc morbo et efficacissimum remedium hydrargyrus est, qui interne et externe est adhibendus donec sapor metallicus in ore excitatur, vel gingivae tenerae redduntur, vel salivatio lenis inducitur. Interne adhiberi possunt, mercurius dulcis, mercurius solubilis Hahnemanni, mercurius cinereus, vel mercurius sublimatus corrosivus albus; sed haec praeparatio summa cum cautela est praescribenda, lethales enim effectus ex imprudenti hujus remedii usu oriri possunt. Externe diversis in modis hydrargyrus administrari solet; ad tonsillarum ulcerationem, fumigatio cum mercurio praecipitato cinereo, mercurio sulphurato rubro vel gargarismatibus cum mercurio sublimato corrosivo paratis: inunctiones, frictionum ope, variis in locis fieri possunt, ad pedum plantas vel articulos, ad internas femorum partes, ad inguina, ad brachia et ad gingivas. Unguentum mercuriale simplex ad frictiones in qualibet externa corporis parte magis est aptum; gingivis mercurius dulcis affricetur, methodo a Clarkio descripta; ad pedum plantas unguentum cum sublimato corrosivo compositum, methodo a Cirillo pro-

posita administrari potest. Si post frictiones mercuriales salivatio superveniat, balnea tepida, emollientia ex malvae vel altae decocto cum lacte parata, et cathartica lenia sunt usurpanda; si dolor haud sit nimis intensus gargarismata ex tormentillae decocto, aluminis solutione, vino rubro tepido et cinchonae decocto utillima erunt.

CAP. III. BLENNORRHOEA.

SYMPTOMATA.

Tribus quatuorve diebus a contagione accepta, pruritus insolitus oritur, tensio, pungens dolor circa penis glandem in fossa praecipue naviculari vel in vagina muliebri, quae tumida sunt; os urethrae solito apertius est et tumidum; cöeundi desiderium, penis erectio et involuntaria pollutio in viris accedunt, in feminis tument et dolent pudenda; urina cum immani ardore et dolore mittitur; nonnunquam ischuria et stranguria; materiei initio serosae, dein puriformis guttulae exprimi possunt; pro-

fluvium magis tenue, vel spissum; colore varians, modo flavum modo viridescens et saepe sanguine tinctum evadit. Morbo ingravescente, penis incurvatio dolorifica vel chordea; dolores perinaei, lumborum, funiculi spermatici, phymosis, paraphymosis, testiculi dolor et tumor seu hernia humoralis, urethrae strictura et sarcocele saepe superveniunt.

CAUSAE.

Contagium specificum.

PROGNOSIS.

Si inflammatio gradatim cessat, si materies quae ex urethra fluit blanda, densior et sine gravi molestiae sensu promanat, tunc blenorrhoeae resolutio peragitur. Morbum autem diuturnum vel inepte curatum, urethrae stricturae, prostatae tumor, humoris chronicum stillicidium, et vesicae urinariae durities excipiunt. An lues venerea?

CURA.

In primo inflammationis stadio, regimen antiphlogisticum stricte est administrandum; venesectio si inflammatio urget; diluentia magna copia sunt haurienda; laxantia; enemata emollientia; cataplasmata ex herbis emollientibus parata; mucilaginosa; oleum tepidum. Inflammatione subacta, injectiones ex zinco vitriolato vel hydrargyro muriato in proportione grani unius hydrargyri ad aquae rosarum uncias octo saepe indies sunt utendae; mucilago gummi arabici cum opii solutione est injicienda: ad incurvationem penis dolorificam opium interne, vel litus cum unguento ex camphorae drachmis duabus solutae, spiritus vini guttis paucis et axungia uncia dimidia confecto. Ad herniam humoralem, seu ad dolentissimum testium, funiculi spermatici et epididimis alterutrius tumorem, hyrudines parti dolenti; cataplasmata emollientia scroto; applicationes peni ex cerussa acetata paratae, et in lecto aegri detentio. Sacculus suspensorius per totum morbi decursum uti debet. Si partes durae remanserint, litus mercuria-

lis, cicuta et decoctum salsaparillae compositum sunt usurpanda: tonus partibus affectis redditur injectionibus astringentibus.

Astruc, De morbis venereis. 4.° Vol. 2. Paris 1740.
Bell, Traité de la Gonorrhée virulente etc. Trad. et augmenté d' un grand nombre d' observations, par Bosquillon. 8.° Vol. 2. Paris 1802.
Cirillo, Osservaz. pratiche, intorno alla lue venerea. 8.° Venez. 1786.
Chrestien, Osserv. sopra un nuovo rimedio nella cura delle malattie veneree. 8. Mil. 1811.
Fabre, Trattato delle malattie veneree. 8.° Mil.
Fritze, Compend. delle malattie veneree. 8. Mil. 1806.
Girtanner, Trattato delle malattie veneree. 8.° Tom. 3. Venez. 1811.
Hunter, Traité des maladies veneriennes. 8.° Paris 1787.
Luisinus, De morbo gallico etc. Fol. Vol. 2. Venet. 1567.
Swediaur, Tratt. sulle malatt. sifillitiche. 8. Vol. 2. Pav. 1802.

CAP. IV. SCORBUTUS.

SYMPTOMATA.

In primo stadio, lassitudo inusitata; motus aversatio; animi dejectio; facies tumida; magna virium prostratio; animi deliquium post motum; cordis palpitatio; dolores musculorum vagi, sunt saepe morbi

prima indicia. Sanguis dissolutus e gingivis laxis, spongiosis, promanat; anhelitus gravissime foetet; gingivae tument, flaccescunt, exulcerantur, dentes nudantur et vacillant; cutis sicca et aspera est in morbi initio, dein maculae latae, rubicundae aut lividae, petechias referentes vel vibicum instar in cruribus praesertim et femoribus apparent, rarius in facie; nonnunquam macularum loco, tubercula erumpunt flava, vel fusca et nigra, in quorum apice vesicula est, qua rupta, maculae succedunt lividi vel purpurei coloris, et ulcera in totum corpus sese manifestant. Si sanguis e vena mittitur, ater et spissus, seri viridis coloris copiam deponit. In stadio secundo, membra tument, urgent dolores; poplitum praesertim tendines rigent, cruraque versus femora retrahunt; sensus constrictionis in abdomine adest, surae sanguinem e variis partibus effundunt; pulsus qui initio lentus erat, sensim vero parvus et mollis factus, debilis, inaequalis, et reptans; salivatio. In tertio tandem stadio, morbo jam inveterato, haemorrhagiae ab partibus corporis variis erumpunt, ab ore, naribus, ano, digitis etiamque extre-

nis; pulsus plerumque exiles; respiratio difficilis, cum pectoris dolore atroci, urina rubra, foetida et post aliquot horas pellicula oleosa obtecta; dolores musculorum omnium; lingua fere naturaliter se habet; alvus per totum morbi decursum saepe pertinaciter astringitur, nonnunquam vero diarrhoea torminibus comitata aegrum vexat; pustulae, ulcera et maculae lividae in gangrenam saepe abeunt; dentium caries, ossium friabilitas summa ita, ut epifisium et cartilaginum separatio accidat; lipothymiae et gangrena alicujus visceris superveniunt, et mors scenam claudit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt victus animalis putrescens, salitus; rei vegetabilis inopia; exercitatio omissa; frigus; humor; affectus animi deprimentes; immunditia; oxigenii defectus; aër marinus, navalis aut carcerum; lues venerea; causa proxima adhuc latet, sed sanguinis status praeternaturaliter salinus esse putatur.

DIAGNOSIS.

Hujus morbi diagnosis haud est valde difficilis; certissima erit si deficiente substantia vegetabili, adsint defectus virium, spiritus male olens et gingivae tumidae. Ab hypochondriasi distinguitur, in hoc enim neque gingivae tumidae neque ulcera, quae in illo semper apparent. A morbo venereo, quia hic genitalia praecipue, seu palatum vel tonsillas occupat, et quia nullus gingivarum tumor in syphilide accedit, nisi ex nimio hydrargyri usu.

PROGNOSIS.

Diarrhoea mitis; cutis mollis, humida; aeger facilius motum vel exercitationem tolerans, felicem eventum pronunciant. Quo difficilior respiratio, et quo magis ulcerantur gingivae, vel maculae nigrescunt, eo semper saevior morbus. Adolescentes facilius sanantur quam senes, qui semper in atrophiam, hydropes, vel paralysim sanatu difficilem desinunt.

Cadaverum sectio sanguinem scorbutico-

rum dissolutum, pulmones exesos, aut pleurae adnexos, hepar durum et farctum, musculos flaccidos, pallidos et ad corruptionem pronos, ac varias hydropis species demonstrat.

CURA.

Secundum causarum diversitatem est instituenda. Cibus recens animalis et vegetabilis; fructus horacei, subacidi; potus fermentati, quales succus e pomis expressus, bynes infusum vel essentia; cerevisia bene lupulata; cerevisia ex abie confecta; mundities summa; stimulantia uti raphanus rusticanus, sinapi, calamus aromaticus etc., vinum; ferri praeparationes; cinchona; acida mineralia diluta; acida vegetabilia uti succus citri, aurantiorum et fructuum horaeorum; succus acetosellae cum saccharo; opium: laudantur etiam aqua calcis, cochlearia, solani tuberosi radices, solani dulcamarae vel rubiae tinctorum decoctum, et balnea tepida. Si dolor ad thoracem graviter aegrum vexat, rubefacientia lateri affecto, sed cave ne vesicam elevent, in ulcera enim gangraenosa facile transeunt; fomentationes aromaticae; spiritus mindereri; eli-

xir acidum Halleri cum syrupo ex ribes: Ad gingivas spongiosas gargarismata ex aluminis solutione confecta, in proportione aluminis drachmarum quatuor ad aquae uncias sex, vel gargarismata ex infuso salviae cum melle et acido sulphurico aut muriatico tenui: cataplasmata ex oxali acetosella, vel succus citri cum aqua dilutus externe applicatus, ad ulcera sunt admovenda: nuper nitrum in aceto solutum summo cum fructu usurpatum fuit, in proportione unciae dimidiae nitri ad uncias quatuor aceti, cujus dosis est ab uncia dimidia ad uncias duas, bis, ter quaterve in die; ulcera solutione sunt lavanda; gas oxigenii inspiratio. Si atrophiae, hydropes et paralysis in diuturno scorbuto signa videntur, remedia, quae contra hos morbos magis pollent, sunt usurpanda.

Albertus, Historia scorbuti. 4.° Vitteb. 1594.
A Bona, De scorbuto. 4.° Veron. 1761.
Eugalenus, De scorbuto etc. 8.° Venet. 1766.
Lind, Traité du scorbut, etc. 12. Paris 1788.
Milman, Recherches sur le scorbut et les fievres putrides. 8.° Paris 1786.
Paterson, Treatise on the Scurvy. 8.° Edinb. 1795.
Rouppe, De morbis navigantium. 8.° Lug. Bat. 1764. vid. pag. 90. seq.
Trotter, Observation on the scurvy. 8.° Lond. 1786.
Zeviani, Sullo scorbuto. Verona 1770.

CAP. V. PELLAGRA.

SYMPTOMATA.

Quos hic morbus aggreditur, his primum manuum dorso, pectoris et anterioris tibiarum faciei cutis mutatur, pellucida et subrubra evadit, rugosa fit, finditur et arrectis squamulis dissilit; lassitudo, animi angor, aurium tinnitus, stupor et vertigo, virium prostratio, pigritia, ructus frequentes et anorexia accedunt. Haec signa primo alterove anno observantur, plerumque vere aut aestivo tempore ingravescunt. Tertio vel quarto morbi anno nova apparent incommoda, dolor capitis pungens, virium languor, et artuum inferiorum debilitas, ut ambulans aeger vacillet; pruriunt gingivae, tument, calent et leviter pressae sanguinem mittunt; nigrescunt dentes, vacillant et collabuntur; os undique ulcusculis deturpatur, unde halitus foetidus oritur; lingua modo rubra et tumida scinditur, arida fit hiulca et ingentes dolores infert, modo mollis madet et albo obducitur muco; sitis inextinguibilis; salis sapor in ore; capilli non secus ac ignis vim passi, crispati subrubent, vel profluunt, cute in squamu-

las furfuraceas abeunte; ungues incurvantur; rigescunt digitorum articuli; venae crurum varicosae et cuticula in amplas elevatur vesiculas; ulcera circa malleolos nascuntur; facies lurida, icterica vel atro colore tincta; maculae subrotundae aut irregulares in manuum dorso, posteriori brachii parte et genis erumpunt; squallent et lippiunt oculi; palpebrae intumescunt; partes vero quae solis actioni sunt libere expositae, magis afficiuntur, his squamea cutis assurgit, cui dein roseus rubor et furfuracea cuticulae separatio accedunt; omnes aliae corporis partes quae sunt vestibus munitae rarissime vitiantur, at si nudatae soli exponuntur eodem vitio affici possunt; cutis haec deturpatio primo vere erumpit, autumno et hieme protinus evanescit, vere autem sequenti recrudescit. Morbus interdum per totum systema diffunditur, artuum tremor, musculorum rigiditas, vertigo, amaurosis, visus hebetudo et auditus defectus ingruunt; aegri tristes et pavidi insomniis vexantur, torpent et exiguo labore laxantur; pulsus arteriarum tardi et inaequales; accedit vitae tedium, et melancholici lugent, silent, hominum consortia fugiunt, modo

externa reformidant, et Deum vindicem timent, modo cogitabundi et immobiles interroganti haud respondent, obmurmurant, mortem ipsam propriis manibus intentant, in aquas et puteos se praecipitant. Mulieres prae viris hoc delirio laborant; petulanti salacitate correptae ruunt in venerem; cardialgia, pica, ructibus acidis et vomitu vexantur; urinae imminutae et crassae copiosum, furfuraceum et nigrum sedimentum deponunt; menstrua supprimuntur; haemorrhagiae narium, salivatio, colici vel lumborum dolores excitantur; extremitatum resolutio, alvi fluxus vel contumacissimae dysenteriae subsequuntur: quarto tandem, vel sexto morbi anno atrophia, hydropes, et febris hectica tot tantisque malis finem imponunt. Symptomata jam memorata in diversis pro aegri natura et morbi gradu ac intensitate variant.

CAUSAE.

Causae quae pellagram producunt haud clare adhuc innotescere videntur, quamplurimae erunt fortasse quae simul junctae huic pertinaci morbo ortum praebent; aër

humidus, frigidus et varius; vestium sordes; victus pravus et parum nutriens; zeae mays fermentatae, vel polygoni fagopyri usus, et dein solis radiis partium nudatarum expositio; victus animalis potusque spirituosi defectus; inopia; animi pathemata. Mulieres magis sunt obnoxiae quam viri, praecipue illo aetatis tempore, quo menstrua recedunt; raro pueri hac morbosa affectione laborant ante pubertatem; vere hic morbus appetit, ingravescit aestivo calore, mitescit hyberno tempore, adventante vere iterum acerbior recurrit. An labes haereditaria? Causa proxima in hepatis et viscerum abdominalium morbosa actione consistere videtur, quae paulatim totum systema praecipue nervosum subvertit.

PROGNOSIS.

Morbus diuturnus evadens et nunquam remittens, cerebri et nervorum functiones plurimum laesae, dysenteria vel diarrhoea nimis profusa, hydropes, febris hectica et tabes infausta sunt symptomata. Pueri facilius morbum ferunt et citius convalescunt, senes vero, cachectici et ventricosi ac diuturna affectione laxati magis periclitantur.

Cadaverum inspectio plurima vitia tam in abdomine, quam in pectore et cerebro demonstrant. Hepar pallidum moleque auctum, fellis vesicam turgentem, splen exsiccum aut atro sanguine plenum, pancreatis substantiam scirrhosam, extispicia perhibent. In aliis cerebri vasa turgida, ventriculi encephali colluvie serosa pleni, meninges inflammatae, cor flaccidum, pulmones farcti vel exiguis abscessis corrupti videntur. Sanguis uti in scorbuticis dissolutus et nimis fluidus caloris speciem diutius servat.

CURA.

Foedi hujus morbi curandi ratio haud semper medica vota implet, remedia enim quae a multis laudantur medicis, ab aliis tentata infaustos habuerunt successus. Cura in internam et externam dividi potest. Interne plurimum juvant diaeta animalis nutriens et concoctu facilis, juscula carnea, gelatina animalis, et vini potus, quae ventriculo vires et actionem restituunt; diaeta lactea, polenta, omnibus oleraceis horeisque vegetabilibus ex toto evitatis. Sunt qui antimonialia, hydrargyri praeparationes, aquam

calcis, extracta cicutae, stramonii, hyoscyami, aconiti napelli, colchici et atropo belladonnae magnis laudibus praedicant; alii praeparationes martiales, elixir guajaci, extractum nasturtii aquatici, vel cochleariae, simarubam, quassiam et decoctum album Sydenhamii praescribunt. Si vires sint nimium debiles opium, camphora, vina generosa, cinchona, extractum absynthii, vel ejus infusum vinosum, additis cinnamomi cortice et caryophillis, refractis dosibus, epicratice propinatum, esse administranda, censent nonnulli haud parvi nominis medici. Nec desunt qui eccoprotica salina, saponacea et rhabarbarata remedia, vel acida mineralia praecipue acidum nitricum dilutum, jus viperinum summa cum utilitate commendant.

Inter externa remedia primum obtinent locum balnea tepida, quae summam non raro utilitatem afferunt; frictiones universales; fonticuli; an gas oxigenii inspiratio?

Albera, Trattato teorico pratico delle malatt. dell' insolato di primavera dette della pellagra. 8. Varese 1784.

Alibert, Malad. de la peau: sup. cit.

Cerri, Trattato della pellagra. 8. Mil. Tom. I. 1807.

Fanzago, Mem. sopra la pellagra. 4. Padova 1789.

FRAPOLLI, Animad. in morbum vulgo pellagram. 8. Mediol. 1771.
GHERARDINI, Della pellagra. 4. Milan. 1779.
JANSEN, De pellagra. Vid. FRANK Delect. Opusc. sup. cit. Tom. IX.
MARZARI, Mem. sulla pellagra. 8.° 1809.
ODOARDI, Diss. d'una specie particolare di scorbuto. 1776.
STRAMBIO, Observat. de pellagra. 4. Mediol. 1785.

CAP. VI. ELEPHANTIASIS.

SYMPTOMATA.

Hujus morbi initio febris accedit quartanae typum servans, aeger tristis est, somniculosus et mente tardus; vultus coloris subfusci et luridi; facies tumida praecipue palpebrae; tumores ovorum instar in auribus, mento, labiis apparent, et aliquando totum corpus talibus scatet tumoribus; rubent malae; oculi sunt caliginosi, supercilia prominent et tuberculis defoedantur; rhagades labiorum; nares externe sunt dilatatae, intus vero constrictae et compressae vocem reddunt raucam et nasalem; rugae frontem exasperant et adspectus fixus, quibus facies horrenda et deformis redditur.

Decidunt pili; cutis, uti elephantis corium, dura, unctuosa, crassa, rugis aspera sensum amittit, ut acus puncturas vix percipiat; urina crassa, alba, turbida; loquela laesa vel impedita; ciborum cupiditas; aeger malincholia vel vesania detentus in venerem ruit, et iracundior evadit. Interdum totum corpus rugis asperis exaratur, tubera ulcerantur, et ulcera foetida sunt, callosa, carnibus fungosis aut spongiosis obsita; nasus tumet, dentes nigricant, gingivae corrosae et exulceratae sanguinem fundunt; sitis ingens; cutis prius rugosa rumpitur, scissurae alte descendunt et sanies effluit cruenta, foetidissima; membra lividum induunt colorem et atro tabo corrupta dilacerantur; ossa praecipue digitorum manuumque carie et ulceribus vitiata decidunt, et miserrimus aeger acerbis doloribus saevisque cruciatibus confectus vitam amittit.

CAUSAE.

Victus pravus; piscium salitorum esus; scrofulae; animi pathemata graviora; aër humidus et stagnans; aromaticorum et acrium substantiarum abusus; lues venerea.

Qui calidas incolunt regiones sunt huic morbo magis obnoxii.

CURA.

Morbi initio sanguinis missio; cathartica lenia; cataplasmata emollientia; emetica praecipue antimonialia; arsenicum; acidum sulphuricum; antimonii praeparationes, praesertim hydrargyrus muriatus; balneum tepidum, vel balnea sulphurea; diaeta nutriens et concoctu facilis; cuprum; infusum absynthii vinosum; decoctum guajaci vel sarsaparillae compositum et ulmi libere; helleborus; tinctura cantharidis; jus viperinum; cinchona.

Alpinus, Medic. Aegyptiorum. 4.° Lugd. Batav. 1745.
Araeteus, Op sup. cit. morb. diuturn. lib. II. cap. 13.
Heberden, Med. transactions sup. cit. I. n. 2.
Lorry, De morbis cutaneis. 4.° Paris 1777.
Matius, De elephantiasi. 4.° Regiom. 1803.
Raymond, Histoire de l'elephantiasis etc. 8.° Lausan. 1767.
Siebold, Diss. de elephantiasi. 4.° Alod. 1662.

CAP. VII. LEPRA.

CHARACTER.

Cutis escharis albis, furfuraceis, rimosis aspera, aliquando subtus humida, pruriginosa.

SYMPTOMATA.

Cutis superficies modo in una, modo in altera parte aspera, sicca et pulvere farinaceo aut squamulis albis obtecta videtur; maculae rubrae gregatim apparent; aeger pruritu mordaci vexatur, ita ut unguibus cutem scalpendo dilaceret; artuum lassitudo; oculorum caligo; vox exilis vel rauca evadit; alvus pertinaciter est adstricta; urina turbida et jumentosa; febris accedit typum servans tertianae, cum pulsu parvo, debili et tenso. Morbo aucto cutis desquamatur frustis subcorneis, vel ocyus aut serius ruberrima, inflammata humorem viscidum exudat; rhagades efficiuntur et ulcera circulo crasso et lardaceo cincta; alias cutis in squamas dissilit, sicuti squamae piscium, quae magna decidunt copia et

novae iterum succedunt; pili defluunt; ungues incurvantur; sudor foetidum odorem refert; nasus acuminatur; tumores aquosi palpebras obsident, et oculi lippi sunt; ciborum appetitus immanis; coitus desiderium; animi deliquium frequens et convulsiones.

CAUSAE.

Eaedem fere sunt quam quae speciem priorem excitant.

CURA.

Interne sunt adhibendae praeparationes antimonii; tinctura arsenicalis Fowler; extractum cicutae; serpentaria virginiensis; decoctum sarsaeparillae; decoctum ulmi et alia remedia supra recensita. Externe juvant fontanellae; exercitatio lenis, balnea potissimum tepida et emollientia; balnea marina, vel sulphurata; ulcera cutis sunt sananda applicatione tincturae mirrhae cum aloe, cinchonae decocti; liquoribus fermentatis abstinentia.

Alibert, Oper. sup. cit. §. 373. pag. 121. seq.
Autenrieth, Observ. quaedam in historiam leprae. 8. Tubing. 1805.

Larrey, Relat. historiq. et chirurg. de l'expedition de l'armée d'Egypte. 8. Paris 1803.
Mekel, De lepra squamosa. Halae 1795.
Memoires de la societé d'emulation. 8. Paris ann. V. pag. 102.
Murray, De vermibus in lepra obviis. 8. Gotting. 1769.
Vischer, Vid. Haller, Bibl. med. pract. sup. cit. Tom. II. pag. 173.
Willan, Cutaneous diseases sup. cit.

CAP. VIII. ICTERUS.

CHARACTER.

Flavedo cutis et oculorum, foeces albidae, urina obscure rubra, immissa colore luteo tingens.

SYMPTOMATA.

Hujus aegritudinis initia obscura sunt, iners, ignavus et somniculosus aeger fit; cutis pruritus et ariditas, oris amaritudo, nausea et saepe vomitus praecedunt. Hypocondrii dextri dolor obtusus; gravitatis et tensionis circa praecordia sensus; corporis universi torpor et lassitudo; oculorum tu-

nica albuginea fit lutea; flavescunt tempora, collum et totum corpus, imo ipsae carnes, ossa, ungues et cartilagines; urina obscure rubra vel crocea, immissa colore luteo tingens; foeces albidae aut cinereae et argillam singularem soliditate et tenacitate referunt; sitis ingens; intestina gravi strepitu murmurant; alvus plerumque adstricta; singultus frequens; nonnunquam pyrexia aut lenta et insanabilis supervenit febris, quae aegrum dolore et debilitate confectum e vita tollit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt, calculi a bile confecti, et bilis in intestina descensum prohibentes; hepatis vitia; temperamentum melancholicum; impedita bilis secretio; mucus tenax ductus biliferos oppilans; vita sedentaria, ignava. In infantibus recenter natis meconium ductum choledochum, tumores sive in ipsis ductuum tunicis, sive in hepate vicinisque partibus ductum communem aut hepaticum comprimentes, icterum producere possunt. Causa proxima est bilis absorptio vel rigurgitatio in systema sanguiferum.

PROGNOSIS.

Si ab organorum vitiis non oriatur, si cutis non multum flavescat neque nigricet, si aeger juvenilem habeat aetatem, neque unquam vel morbo ipso vel aliis morbis antecedentibus laboravit, bonum erit. Malum vero, si vitia ductuum aut hepatis, aut magnae concretiones ductus oppilantes, icterum effecerint; si cutis ad nigrum colorem tendat; si alvus sit pertinaciter astricta; si hepar farctum et durum et abdomen tumidum; si aeger dysenteria foetida colliquescat vel si hydrope afficiatur cum febri hectica et siti inextinguibili, haec omnia funesta erunt symptomata.

CURA.

Si a calculis oriatur eadem remedia supra in colica hepatica recensita sunt usurpanda. Si dolor hypochondrii dextri graviter urgeat, vel si ulla pyrexiae signa adsint, sanguis aegroto detrahatur; balnea tepida; enemata emollientia; fomenta; diluentia tepida; laxantia, qualia aloe, oleum

ex seminibus ricini, sapo kali preparato et amaris conjunctis; emetica lenia. Si ab hepatis actione imminuta icterus originem ducat, rhabarbarum parva et repetita dosi vel opio conjunctum; opiata; hyoscyami extractum; epispastica; aether cum ovorum vitellis, vel aqua distillata melissae; ictus electrici; postea aqua seltzerana, et apud nos aquae acidulae Ricoari; cinchona; ferri praeparationes: si a bilis in intestinis retentione proveniat, alvi purgatio: si ab tumoribus vel visceribus morbosis oriatur, hydrargyrus interne et externe, cicuta etc.

Araeteus, Oper. sup. cit. chronic. Lib. I. cap. 15.
Baglivi, Oper. Omn. sup. cit. Lib. I. cap. 9.
Baumes, Descript. de l' ictere des noveaux nés. 8. Nimes 1788.
Bianchi, Hist. hepatica sup. cit.
Celsus, De re medica sup. cit. Lib. III. cap. 24.
Juckeis, Diss. de ictero. 8. Edinb. 1798.
Saunders, Traité de la structure et des maladies du foje. 8. Paris 1804.
Vogel Aug., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 632. seq.

LOCALES.

CLASSIS IV. LOCALES.

CHARACTER.

Partis, non totius corporis, affectio.

ORD. I. DYSAESTHESIAE.

CHARACTER.

Sensus depravati aut deleti, ex organorum externorum vitio.

CAP. I. AMAUROSIS.

CHARACTER.

Visus imminutus vel protinus abolitus, sine vitio oculi evidente, plerumque cum pupilla dilatata et immobili.

In *perfectam* et *imperfectam* dividitur, perfecta est amaurosis, ubi in oculo affecto visus est omnino abolitus, imperfecta vero, ubi visus vel obscurus est, vel maculam nigram oculis obvolitare videtur. Melius erit

fortasse pro diverso totius systematis statu in *hypersthenicam* et *hyposthenicam* amaurosim sejungere.

SYMPTOMATA.

Modo repente hoc malum invadit, modo sensim obrepit, nec aeger interdum subito sed post plurimos annos luminibus orbatur. Nascens morbus unum tantum oculum afficit, dein alterum quoque plerumque aggreditur. Signa quae visus abolitionem vel imminutionem praecedunt, aliquando sunt, capitis dolor, modo levis modo gravis, oculi usu citius fatigantur, praecipue si objecta lucida prospiciunt; scintillae, flammae vel maculae varii coloris obvolitare videntur; res oblatae dimidiatae, vel duplicatae apparent. Nonnulli, clauso uno oculo, res altero melius cernere valent, vel fumo objecta involuta vel nebula cincta aspiciunt. His symptomatibus plus minus diu aeger vexatur, lumine tandem orbus evadit; caligo paulatim densatur; pupilla nubeculosa pallet, saepe dilatatur, et luce etiam fulgida haud movetur, aliquando vero ut in sanis bene contrahitur et visus tamen

imminuitur; bulbus nitorem amittit, siccior haerentis corporis sensum habet, et albugineae vasa interdum varicosa; pupillae formam oblongam induunt et strabismo laborant; oculorum motus nunc tardi, nunc vero tremuli et humores subalbidi apparent. Capitis dolor remittit et caecitas perfecta supervenit.

CAUSAE.

Causae remotae sunt cerebri compressio ab congestione vel vi externa; vitia organica cerebri vel ejus membranae praeter naturam crassae; seri aut sanguinis effusio; tumores; ossa excrescentia vel calculi in cerebro; atonia, vel nervorum opticorum paralysis; retinae vasa varicosa reddita; rerum lucidarum nimius intuitus; animi commotio vehementior, uti ira, gaudium etc., ictus fulminis; capitis dolor diuturnus; rheumatismi, arthritidis et podagrae retrocessio; haemorrhagiae vel exanthemata suppressa. Febres intermittentes diuturnae; digitalis purpureae, stramonii, belladonnae etc. nimius usus; venena metallica; vermes; hydrargyri abusus; lues venerea; epilepsia,

superciliorum vulnera; coryza; nimia sanguinis jactura, sunt causae quae amaurosim inducere valent. Causa proxima est retinae insensibilitas vel actio imminuta.

DIAGNOSIS.

A cataracta incipiente dignosci potest, in hac enim inchoata, macula obscura in media lente conspici potest; iris, incolumi retina, admota luce, se contrahit et aeger obscura luce, clarius videt.

PROGNOSIS.

Si pupilla mobilis est, si facilius causae tolli possunt, si hysteriae vel hypocondriasi succedit et si incompleta est, spem sanitatis relinquit. Si vero inveterata, si tarde sine causa manifesta obrepserit, si signa nimium exquisita fuerint, difficile aut vix sanatur.

CURA.

Si a systematis diathesi hypersthenica pendeat, si mensium vel haemorrhoidum suppressio adsit, praecipue in his qui ple-

thorico corporis habitu sunt praediti vel apoplexiae obnoxii, venae sectio; venae jugularis vel arteriae temporalis incisio; hyrudines circa tempora vel ad vasa haemorrhoidalia; purgantia; methodus antiphlogistica. Quae a compressione vel a congestione proveniat, remedia iis aptata sunt usurpanda; si a debilitate vel paralysi nervorum opticorum oriatur, epispastica temporibus; electricitatis tam scintillae quam ictus; remedia quae totum corpus firmant, atque stimulant partesque affectas recte irritant, infusum valerianae silvestris, vel solum vel cum spiritu nitri dulci, aut cum liquore anodyno; arnica montana; cinchona; ferri praeparationes; sinapis semina; ammoniae carbonas; pulsatilla nigricans a grano uno ad duos ter vel quater de die; calomelas; antimonii praeparationes, praecipue tartarus emeticus refracta dosi. Errhina uti hydrargyrus vitriolatus cum pulveris glycyrrhizae octuplo commixtus, pulvis asari, et omnia quae muci copiosam secretionem, vel oculis lacrimationem cient, a nonnullis commendantur. Palpebrae partesque oculo proximae linimento saponaceo cum tinctura cantharidum, vel spiritu camphorato, oleo

cajeput etc. fricari debent; vapores ammoniae; capsici infusio oculo ipsi indita morbum profligare dicitur; vesicantia. Si a mensium cutisve eruptione repressa amaurosis nata, eandem idoneis remediis revocare oportet.

Heister, Diss. de amaurosi per salivationem curata. Altd. 1765.
Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. I. Epist. XIII.
Nothnagel, De amaurosi. Vid. Baldinger, Sylloge sup. cit. Tom. III.
Richter, Oper. chirurg. sup. cit. Tom. III. §. 420. seq.
Saint Yves, Maladies des yeux. 8. Amsterd. 1767. cap. XXVI. pag. 249. seq.
Scarpa, Malattie degli occhi sop. cit. cap. XIX. p. 243.
Trnka, Historia amauroseos omnis aevi observata etc. 8. Vien. 1781.

CAP. II. DYSECOEA.

CHARACTER.

Auditus imminutus vel abolitus.

CAUSAE.

Vitium organicum, uti est auris imperforatio vel congenita vel alio morbo indu-

cta; ulcera, polypi, vel auris excrescentiae fungosae; exostosis meatus auditorii; cerumen multum induratum; membranarum inflammatio, rigiditas, relaxatio; eustachii tuba obstructa, quae cognosci potest a causis antecedentibus, si sub valida expiratione pressionis sensus ad aurem non percipitur, et si aurium susurrus est; atonia vel paralysis nervi acustici; syphilis.

CURA.

Si a vitio organico proveniat immedicabilis est; si a nimia auris siccitate vel cerumine indurato, emollientia; aqua sive simplex sive saponata; olei instillatio: si ab inflammatione, sanguinis missio topica et alia remedia inflammationi aptata sunt adhibenda, et aër externus est excludendus: si ab eustachii tuba obstruota, gargarismata ex piretro vel sinapi sunt tentanda; injectiones per syringem; sternutatoria; ubi ex magno fragore melius audit, jubendum est, ut obturatis ore et naribus, aerem expiratum vi in eustachii tubam impellat, quo subito saepe auditus restituitur: si ab atonia vel paralysi membranae tympani, va-

pores aromatici in aurem immitti possunt; vapores ammoniacales, qui aliqua alcali volatilis drachma in aqua calida immissa fieri possunt; vesicantia ad nucham vel retro aures; stimulantia; volatilia uti spiritus vini camphorati, vel tincturae anodynae vel opii gossypio accepta et in aurem immissa; electricitas. In surditate quae a lue venerea oritur, hydrargyri praeparationes sunt utendae.

Boehmer, De morbis membranae tympani. 4.° Lips. 1780.
Haase, Diss. sistens auditus vitia surditatem etc. inducentia. Lips. 1782.
Morgagni, Oper. sup. cit. Tom. I. Epist. XXIV. n. 48.
Scarpa, De structura fenestrae rotundae etc. 4.° Mutinae 1772.

ORD. II. APOCENOSES.

CHARACTER.

Fluxus sive sanguis sive humores alii, solito uberius profluens, sine pyrexia, impetuve fluidorum aucto.

CAP. I. ENURESIS, SEU URINAE INCONTINENTIA.

CHARACTER.

Urinae e vesica fluxus involuntarius, non dolens.

CAUSAE.

Vesicae sphincteris atonia vel paralysis, irritatio vel compressio; monstrosa vesicae conformatio; calculi in vesica; capitis laesiones; onania; prostratae vel urethrae et uteri vitia; ulcera vel excrescentiae fungosae vesicae; urina acris reddita; febres hyposthenicae; apoplexia, epilepsia, tussis ferina et haemorrhoides. Pueri sub somno profundo frequenter urinae incontinentia laborant: In gravidis ubi uterus gravidus vicinas comprimit partes, vel aliqua vis allata vel sub hysteria, idem observatur morbus. Senes vero sunt qui enuresi vexantur, in quibus musculorum relaxatio molestum et diuturnum urinae stillicidium inducit.

CURA.

Si atonia adsit vesicae, perinaei lavatione frigida, epispasticis ei admotis et tonicis internis, uti sunt adstringentia, cinchona, simaruba, tinctura cantharidum, ad guttas quindecim ad viginti in die; vesicantia ad os sacrum; electricitas; gas oxigenii inspiratio; suffumigia ex styrace, succino et similibus. Si ab acri urina producatur, blanda diuretica, mucilaginosa, oleum amygdalarum dulcium. Si ab irritatione nimis aucta vel compressione oriatur, remedia iis propria sunt administranda.

Desault, Oper. chirurg. sup. cit. vid. Tom. VI. Cap. VI.
Hoffmann, Oper. omn. sup. cit. vid. Supp. II. Sect. 2. pag. 445.
Ludwig, Inst. medic. clinicae sup. cit. §. 954. seq.
Morgagni, Op. sup. cit. Tom. II. Epist. XLII.
Portal, Cours d' anatom. medical. sup cit. pag. 424.
Troja, Malatt. delle vie urinarie sopr. cit.
Wolff, Diss. de urinae incontinentia. 4.° Jenae 1688.

ORD. III. EPISCHESES.

CHARACTER.

Excernendorum suppressiones.

CAP. I. ISCHURIA RENALIS.

CHARACTER.

Ischuria ex locali renum affectione cognoscitur, urinae suppressione absoluta; praegressa renum inflammatione, cum dolore vel molesto gravitatis sensu in renum regione, qui gressu, equitatione augetur et per ureteres et vesicam propagatur. Accedunt urinae suppressioni tenesmus, femoris stupor, nausea et vomitus, sine tumore hypogastrii vel ad mingendum stimulo; febris quae huic adsociatur ischuriae validissima est. Si a calculis renalibus oritur absque renum inflammatione, urina praecedit mucosa, floccosa vel sanguine tincta, parva in copia, cum vomitu vel vomendi conatu, testiculi adest retractio et cruris stupor; dolor vel nullus vel profundus cum ponderis sensu circa lumbos; sub motu ischuria augetur; febris lenta apparet si morbus diuturnus evadit. Supprimitur etiam urina in iis qui aliis morbis vexantur, adest nonnunquam urinae retentio in hystericis, hypochondriacis et iis qui morbis nervosis,

epilepsia, apoplexia et arthritide anomala laborant. Quae ischuria consensualis dici potest.

CAUSAE.

Nephritis; calculi; sanguis congrumatus vel pus in renum pelvi; morbosa contractio vel renum paralysis; cutis perfrigeratio; rheumatismus male solutus; cantharidum usus; viscerum abdominalium, praecipue peritonaei inflammatio.

CURA.

Si ab nephritide oriatur, remedia idonea sunt utenda quae aliubi recensentur; si a calculo, balneum tepidum; enemata emollientia; laxantia; diluentia; alvi lenis purgatio ex seminibus ricini; uvae ursi decoctum et alia superius memorata. Si a spastica contractione, eadem remedia conveniunt: Si ab sanguine congrumato, balneum tepidum; anodina; enemata etc. Si artuum paralysis, electricitas, epispastica et alia paralysi idonea.

CAP. II. ISCHURIA URETERICA.

CHARACTER.

Urinae suppressio absoluta; praegresso renum morbo, cum doloris vel molestiae sensu in quadam ureteris parte, et sine hypogastrii tumore vel ad mingendum stimulo. Causas easdem ut prior agnoscit, et eandem medendi rationem postulat.

CAP. III. ISCHURIA VESICALIS.

CHARACTER.

Urinae suppressio cum hypogastrii tumore, vesicae figuram primum referente, dolore ad cervicem vesicae vel ponderis sensu molesto, et ad mingendum stimulo. Pubis tumor, si diutius ischuria persistit, augetur, ut totum aliquando abdomen intumescat, ac in hydrope; alvus pertinaciter est adstricta, nam vesicae tumor intestinum rectum comprimit. Si urinae suppressio a

calculo ad collum vesicae delabente oritur, subitanea adest inter mingendum urinae suppressio cum pruritu ac penis dolore molestissimo, et ponderis sensu ad perinaeum; catheter intromissus obstaculum invenit, et exploratio vesicae digiti ope in anum immissi de calculi praesentia nos edocet.

CAUSAE.

Vesicae inflammatio; ulceratio, durities; fibrarum muscularium vel tunicarum vitia; calculi; sphincteris vesicae morbosa contractio; vesicae paralysis; ascarides et insectorum larvae in muco vesicae haerentes; vesica diutius distenta; sanguis grumosus, mucus vel pus circa vesicae collum; prostratae durities; scybala; flatus; abscessus; haemorrhoides; uterus gravidus, vel polypi in eo generati; uteri inflammatio.

CURA.

Si inflammationis signa adsint, sanguis est detrahendus, aliter non; balneum tepidum; enemata laxantia; olei tepidi injectio. Inflammatione subacta, pubis frictio cum camphora in oleo soluta; opiata: his nihil valentibus,

catheter immitti debet vel punctura vesicae: Si ab tunicarum vitio proveniat, hydrargyrus, cicuta et electricitas: si ab calculis, lithontriptica ut aqua kali puri, aqua mephitica alkalina, aqua calcis; soda aqua crystallorum privata, et in pillulas cum sapone redacta; acidum nitrosum dilutum; gas carbonicum; pareirae bravae infusum vinosum; enemata anodyna; lapis suillus; uva ursi; hydrargyrus muriatus mitis scilla conjunctus. Si a contractione morbosa vesicae venae sectio; balneum tepidum; enemata emollientia, et postea opiata. Si ab paralysi remedia ante recensita: si a vesica diutius distenta, applicationes frigidae hypogastrio sunt admovendae: si a sanguine grumoso, muco vel pure, balneum tepidum; enemata; opiata; si a graviditate, catheter uti debet; si ab aliis causis remedia antea memorata quae iis sunt idonea usurpanda sunt.

CAP. IV. ISCHURIA URETHRALIS.

CHARACTER.

Urinae suppressio cum tumore hypogastrii circumscripto, frequenti ad mingendum stimulo, et dolore in aliqua parte urethrae.

CAUSAE.

Perinaei tumor; calculus urethrae impactus; sanguis grumosus, mucus vel pus; urethrae inflammatio; strictura; carunculae; vermes in urethra; tumores ad collum vesicae; phymosis; tubercula syphilitica; haemorrhoides urethrae; scirrhus vel glandulae prostratae vitium.

CURA.

Causae remotae sunt amovendae; si ab urethrae inflammatione vel a calculo oriatur semicupium, fomenta, enemata emollientia, demulcentia, et dein opiata sunt utenda. His nihil valentibus, trahendus est calculus; si ab strictura, tinctura ferri muriati, in dosi guttarum decem omni horae sexta parte donec solvitur contractio, est utenda; aqua chalybeata; tinctura cantharidis. Plurimae aliae causae opem chirurgi postulant, urina arte est evacuanda modis propriis.

Ballonius, Oper. omn. sup. cit.
Commerc. liter. nor. sup. cit. an. 1733.

Desault, Oper. chirurg. sop. cit. Tom. VI. pag. 119.
. . . Traité des vojes urinaires, etc. 8.° Paris 1798.
Hist. morb. Vratisl. sup. cit. pag. 351.
Morgagni, De sed. et caus. morb. sup. cit. Tom. II. Epist. XLI. Art. I.
Ploucquet, De ischuria cystica Tab. 1790. 8. Paris 1798.

ORD. IV. DIALYSES.

CHARACTER.

Solutio continui, visu, tactuve manifesta.

CAP. I. HERPES.

CHARACTER.

Vesiculae cuticulares, humore aqueo plenae, vel ulcuscula plurima, gregalia, pruriginosa, serpentia, nunc humida et in crustas albidas, nunc sicca in squamas furfuraceas, vel in pulverem farinaceum abeuntia.

Herpes farinosus seu furfuraceus mitissimum sistit morbum. Cutis materia albescente, farinam referente obtegitur, vel in squamulas furfuraceas anularis formae ex-

asperatur; leviter prurit ac rubet; ab una cutis parte per totam serpit cutis superficiem; squamulae augentur, et scalpendo decidunt ac certis temporibus iterum comparent.

Alterum genus ab *herpete crustaceo* efformatur. Cutis crassior est et durior; rubedo nascitur cum forti pruritu praecipue in facie aliisque corporis partibus; dein pustulae apparent exiguae, miliares, flavescentes quae ruptae ichorem mittunt et in crustas sordidas abeunt, et totam cutem deturpant. Digitis scalpta cute, vel per sudores decidunt crustae, ac rubor remanet cum molesto pruritu et sanguis nonnunquam profluit.

In *herpete pustuloso* cutis rubet, pustulae elevantur humore albo et purulento plenae, qui a pustulis ruptis effusus levissimam crustam vel squamosam pelliculam efformat; rodentes phlyctenae late se diffundunt et aliis pustulis originem praebent.

CAUSAE.

Haemorrhoidum vel habitualis profluvii suppressio; graviora animi pathemata; viscerum abdominalium vitia; sordes gastri-

cae; acrium esus, aut carnium nimis salitarum; lues venerea.

CURA.

In hujus morbi cura, interne usurpantur solani dulcamarae, trifolii fibrini, fumariae officinalis decocta; acidum sulphuricum; aqua calcis; decoctum ulmi vel sarsaeparillae compositum; tinctura veratri; tinctura cantharidum; pillulae calomelanos compositae; flores sulphuris, vel aquae minerales sulphurosae; antimonii praeparationes; jus viperinum: si signa gastricae saburrae adsint purgantia lenia; aloe; rhabarbarum; mercurius dulcis; serum lactis; clysmata emollientia. Externe sunt adhibenda balnea tepida; balnea sulphurea vel marina; inunctiones cum unguento sulphureo, ex axungia et sulphuris floribus parato, sed in herpete furfuraceo inveterato unguentum cum sulphuro potassae seu hepate sulphuris compositum efficacius erit remedium; ulcera sunt inungenda, unguento hydrargyri nitrati, vel acido sulphurico octuplo ponderis unguenti adipis suillae commixto, vel sunt lavanda ferri vitriolati solutione vel potassae sulphuratae lotione.

Alibert, Op. sup. cit. §. 198. pag. 79. seq.
Campfens, Diss. de herpete. Duisb. 1802.
Frank, Epit. sup. cit. Lib. IV.
Lorry, De morbis cutaneis. 4. Paris.
Roussel, De variis herpetis speciebus. 8. Cadomi 1779.

CAP. II. TINEA.

CHARACTER.

In cute capillata ad radices capillorum ulcuscula, humorem in crustam albam, friabilem abeuntem, fundentia.

Tinea favosa tuberculis distinguitur in omni capitis parte ortis, apice albo et foveola depresso, gregatim inter se junctis, ita ut mellis favum efforment; digitis pressa vel sponte saniem effundunt albo-flavescentem, et in squamulas crustaceas grisei coloris abeunt. Caput acerrime foetet; pruritus ingens ad scalpendum aegrum impellit, unde dolor acerbus oritur; macies; facies lurida et pallida evadit, et nonnunquam febris hectica apparet.

Tinea granulata humida est, sed crustae exigua efformant tubercula sive grana grisei aut lividi coloris, irregularia, quae foveola illa carent, quae in praecedenti specie observatur.

In *tinea furfuracea* crustae haud apparent, sed squamulae furfuraceae, albescentes, plus minusve tenues, modo humidae capillis humore quodam glutinoso adherent, modo siccae et friabiles facile decidunt. Pruritum excitat haec species vix tolerandum, unde aeger scalptu squamas evellit, et cutis remanet nuda, rubra et nitida.

Tinea mucosa incipit vesiculis ad capillorum radices, densissimis, quae nonnunquam supercilia et mentum, brachia et femora attingunt; crustae efficiuntur flavae, quae decidunt; materie mucosa scatent mellis corrupti formam habente quae capillos inter se agglutinat. Aliquando vesiculae humorem effluunt acrem, et cito in ulcera totum fere caput obsidentia abeunt, et decidunt capilli; aeger irrequietus, pallidus, macilentus, male continuo se habet, vesiculas scalpit et caput cruentat, tabe conficitur, ac si tinea recedit in anasarcam vel in alium hydropem incidit.

CAUSAE.

Alimenta nimis dura et prava; immunditia; habitatio humida et sordida; animi pathemata.

CURA.

Capitis rasura; balneum calidum; fontanellae; hydrargyri nitrati unguentum; pomata oxygenata Aliony; gummi ammoniaci in aceto solutio; emplastrum picis nigrae; solutio potassae sulphuratae in proportione drachmarum duarum potassae ad aquae libram; extractum cicutae interne et ejusdem decoctum pro usu externo; nuper unguentum ex calce et oleo amygdalarum dulcium compositum summo cum fructu usurpatum fuit.

Alibert, Oper. sup. cit. Sect. III.
Gallot, Recherches sur la teigne etc. 8.° Paris 1802.
Memoir. dela societé medicale d'emulation. 8.° Paris Tom. I. pag. 230.
Murray, De medendi tinea capitis ratione paralipomene. 4.° Gotting. 1782.
Raymond, Des maladies qu'il est dangereux de guerir. 8.° Avign. 1757.

CAP. III. SCABIES.

CHARACTER.

Pustulae et ulcuscula lecti calore valde pruriginosa, contagiosa, digitos internos, carpos artusque infestantia.

SYMPTOMATA.

Hoc cutis vitium vel siccum vel humidum est. Scabies pruritu molesto juncturarum incipit; cutis dura et rubicunda est; pustulae oriuntur exiguae quae noctu, calore externo, sub stragulis aut post alimenta nimis irritantia pruriunt, scalptae humorem effundunt et exulcerantur; in ulceribus insecta, ex acarorum familia, nidulantur et ovula deponunt; manus et crurum juncturae rimulis exasperantur, et tument; pustulae crustis flavescentibus obducuntur, decidunt et maculas fusco-rubras relinquunt. Scabies modo ad carpum, axillas et femora diffunditur, modo totam occupat cutim, sola facie excepta; odor singularis e corpore manat, vultus pallet, membra extenuantur, et appetitus magnopere augetur. In *sicca* cutis arida crustas parvas, subfuscas efformat, nec sanies effunditur, brachia potius et crura quam digitos infestat; pruritus insignis, nec scalpendo solatium adducitur; gravior et pertinacior est morbus, qui senes ut plurimum afficit, et facile hecticam febrim et marasmum inducit.

CAUSAE.

Cutis immundities in orphanotropheis, nosocomiis et habitationibus humidis et depressis; lochiorum retentio; haemorrhoides vel menstrua suppressa; febres diuturnae, praesertim quartanae; aëris et aquarum mutatio; victus viscidus et crudus: vita ignava. Pueri et puellae ante pubertatis tempus huic morbo sunt magis obnoxiae, praecipue quae montuosa incolunt loca.

PROGNOSIS.

Scabies diuturnum efficit morbum qui nullae parcit aetati, et si cum aliis complicatur affectibus haud est periculi expers. Ex repulsa vel repressa scabie quamplurima oriuntur haud parvi momenti mala, ex hoc originem ducunt ulcera prava et dolentissima oris, dolores osteocopi, tumores glandularum, pulmonum vitia, catarrhi suffocativi, chlorosis, asthmata, hysteria, amaurosis, articulorum hydropes, febres continuae, viscerum abdominalium praecipue ventriculi inflammationes, apoplexiae, insaniae et alii propullulant morbi post ineptam scabiei curationem.

CURA.

Indicatio curatoria remedia exigit tam interna quam externa. Morbi initio in plethoricis, praecipue si respiratio sit laesa venae sectio est praemittenda, sed cave ne nimium sanguinis missioni indulgeas, scabiei enim eruptionem intus convertere potest; purgantia lenia, uti rhabarbarum, manna, tamarindi etc.; antimonii praeparationes; flores sulphuris ad scrupulum semis vel ultra; aquae sulphureae; acidum nitricum vel sulphuricum dilutum; calomelanos pauca grana quotidie omni die praecipue in syphilitica; decoctum ulmi, guajaci vel solani dulcamarae; serum lactis: externe adhibenda sunt, frictio cum unguento sulphuris, vel cum unguento ex axungia, acido nitrico et sulphure parato; sulphuris vapores; balnea tepida, vel ex aqua in qua sulphuris sit hepar solutum; balnea marina; lavatio corporis partium affectarum arsenici vel hydrargyri muriati solutione; mundities summa; in diuturna frictio cum unguento mercuriali. Scabies intempestive retropulsa erit revocanda, emeticis refracta

dosi, emulsione camphorata, tinctura cantharidum, calce sulphurata, vesicantibus, electricitate, frictione linteis paulum asperis, nova infectione studio facta.

ALBERTI, De scabie. 4.° Hal. 1718.

AUTENRIETH, Diss. de morbis ex scabie oriundis etc. Tubing. 1807.

BONOMO, Diss. sulla rogna. Vid. Mem. di Medicin. 8.° Milan. 1801. Tom. 3. p. 137.

HILDEBRANDT, De methodo verae scabiei medendi, ratione et usu comprobata. Goett. 1796.

KRAUSE, De scabie humani corporis. 8.° Lips. 1779.

LEVI, De varia scabiei indole. 4.° Gotting. 1790.

LUDWIG, Medicin. clinic. sup. cit. p. 1. cap. IV. §. 511. seq.

MONTEGGIA, Oper. sup. cit. Tom. VI. p. 40 seq.

MORGAGNI, Oper. sup. cit. Tom. III. Epist. LV.

SPRENGEL, Inst. medic. sup. cit. Tom. IV. Lib. III. cap. IX. §. 358. seq.

STOLL, Praelect. sup. cit T. I. pag. 279. II. p. 439.

VOGEL AUG., Praelect. sup. cit. Tom. II. §. 698. seq.

Vid. etiam Op. sup. cit. BERTRANDI, BELL, FRANK etc.

FINIS.

INDEX.

PRAEFATIO.

Nemo erit qui non videat quantam medicinae utilitatem afferat, necessaria praescribendi simplicitas, et medicamentorum concinnandorum elegantia. Polypharmacia a medicis esse damnanda videtur, non solum enim dubia vel superflua continet, sed justum de remediorum viribus judicium difficile reddit. Quamobrem medicinae tironibus formam praescribendi concinnam suppeditare existimavi; formulas utilissimas ex multiplicibus dispensatoriis collegi; remedia ex effectibus eorum simplicissimis et constantissimis distinxi. Remediorum genera et nomina magis usitata esse retinenda censui, ut medicis expeditum et minus incertum ordinem exhiberem; inter tot neotericorum sententias, tanta est in materia medica confu-

sio ut vix aliquid de vera medicamentorum facultate referri possit, quilibet enim eorum vim ex propria sententia potius quam ab experientia eruere conatur. Divisionem remediorum nuper a clarissimis medicis excogitatam haud sum secutus, nam eorum doctrina de medicamentorum viribus et modo quo humano corpori prosunt, latet usque adhuc, et mihi haud perspicue innotescere fateor.

Praeparata et composita a Pharmacopea Generali Clariss. Brugnatelli, et ex apparatu Medicaminum Clariss. Marabelli sunt excerpta.

MEDICAMENTA

Tam simplicia quam praeparata quae seorsim exhiberi possunt.

(Duncan Edinb. Dyspen.)

Acetum.

	dos. min.	med.	extr.
Acetum scilliticum . .	dr. j.	dr. ij.	unc. ss.
Acidum benzoicum . .	gt. x.	xxxv.	dr. ss.
. . . muriaticum . .	gt. x.	xx.	xl.
. . . nitrosum . .	gt. v.	x.	xx.
. . . succinicum . .	gt. v.	x.	sc. j.
. . sulphuricum dilut.	gt. xx.	sc. j.	dr. ss.
Aconiti napelli pulv. .	gr. j.	ij.	v.
. . . extractum . .	gr. 1/2	iij.	v.
Aether sulphuricus . .	gt. x.	xxx.	lx.
Aloe socot.	gr. v.	sc. j.	dr. j.
Althaea			
Alumen	gr. iij.	xij.	dr. j.
Angusturae cortex . .	gr. x.	sc. j.	
Arnicae montanae herb.	gr. v.	x.	xv.
Assa foetida	gr. viij.	sc. j.	dr. j.
Astragalus Excap. in decoct.	dr. ij.	unc. ss.	
Balsamum Copaiva . .	gt. xv.	xxx.	
. . . Peruvianum .	gt. xv.	xxx.	
Bituminis petrol. oleum	gt. x.	xxx.	
Camphora	gr. iij.	x.	sc. j.
. . . emulsio	unc. ss.	j.	ij.
Canellae albae cortex .	gr. xv.	sc. j.	sc. ij.
Capsici annui fructus .	gr. iij.	v.	x.
Cardamines prat. flores	dr. ss.	dr. j.	
Cari Carui semina . .	gt. x.	sc. j.	dr. j.
Cassiae fistulae pulpa .	unc. ss.	unc. j.	unc. ij.

	dos. min.	*med.*	*extr.*
Castoreum rossic. . . .	gr. x.	xv.	sc. j.
. . . tinctura . . .	dr. ss.	dr. j.	dr. ij.
Chamaemeli flores . .	gr. x.	sc. j.	dr. j.
Cochlear. Off. herbae succ.	unc. j.	unc. iij.	
Colchici Autumn. radix.	gr. ss.	j.	iij.
. . . syrupus . . .	dr. j.	dr. iij.	unc. j.
. . . oxymel . . .	dr. ij.	ij.	unc. ss.
Colombi radix	gr. x.	xv.	sc. j.
Conii maculati folia . .	gr. j.	iij.	jv.
. . . . extractum .	gr. 1/2	jss.	iij.
Cortex Peruvianus . .	sc. j.	sc. ij.	dr. j.
. . . decoctum . .	unc. j.	ij.	iv.
. . . tinctura . . .	dr. j.	ij.	
. . . extractum . .	gr. v.	sc. j.	sc. ij.
Daphnes mezer. rad. cort.	gr. j.	v.	x.
. . . decoctum . .	unc. iij.	vj.	
Dulcamara in decoct. .	dr. ij.	unc. ss.	unc. jss.
Digitalis purpureae fol.	gr. ss.	ij.	iv.
. . . infusum aquos.	dr. iij.	unc. ss.	unc. j.
Ferri limatura	gr. iij.	x.	sc. j.
Gentianae luteae radix .	sc. j.	sc. ij.	dr. j.
. . . extractum . .	sc. j.	sc. ij.	sc. iv.
Gratiolae offic. herb. .	gr. viij.	xv.	sc. j.
Gummi Ammoniac. . .	sc. j.	sc. ij.	dr. j.
. . . arabicum . .	sc. j.	dr. j.	dr. ij.
Gummi Guajacum . .	gr. x.	sc. j.	dr. j.
. . . tinctura . . .	dr. ij.	unc. ss.	
Hellebori nigri radix .	gr. x.	xv.	sc. j.
. . . extractum . .	gr. v.	viij.	x.
Hyoscyami nigri herba, semen	gr. ij.	iij.	viij.
. . . extractum . .	gr. j.	ij.	v.
Jalapii radix	gr. x.	sc. j.	dr. j.
. . . extractum . .	gr. v.	x.	sc. j.

	dos. min.	*med.*	*extr.*
Ipecacuanhae radix.			
. . . ad naus. ciendam	gr. j.	ij.	iij.
. . . pro emetico .	gr. x.	xv.	sc. j.
Juniperi baccae . . .	gr. x.	sc. j.	sc. ij.
. . . oleum . . .	gt. ij.	v.	x.
Kino	gr. x.	xv.	sc. j.
Lauri Cinnamomi cortex	gr. v.	viij.	sc. j.
. . . Aqua	unc. ss.	unc. ij.	unc. iij.
. . . Aqua spirit. . . .	dr. j.	unc. ss.	unc. j.
. . . Oleum	gt. j.	iij.	v.
Lini semen in infus. .	unc. j.		
. . oleum pro clister.	unc. iij.	vj.	
Lobelia syphilit. in decoct.	unc. ss.	j.	
. . . pulvis cum lacte	gr. xv.	sc. j.	
Macis	gr. x.	sc. j.	dr. ss.
Magnesia alba	sc. j.	sc. ij.	dr. j.
Meloes vesicatoriae pulv.	gr. ss.	j.	
. . . tinctura . . .	gt. x.	xv.	xx.
Moschus	gr. j.	viij.	sc. j.
. . . tinctura . . .	dr. j.	unc. ss.	
Myrrha	gr. x.	sc. j.	sc. ij.
. . . tinctura . . .	gt. xx.	xxx.	dr. j.
Nitrum	gr. iij.	x.	sc. j.
Nux moschata	gr. jv.	x.	sc. j.
. . . syrupus . . .	dr. j.	unc. ss.	unc. j.
Nux vomica	gr. ij.	v.	viij.
Oleum animale Dippellii	gt. x.	xx.	xl.
. . . Cajeput	gt. vj.	viij.	xij.
. . . olivarum . . .	dr. ij.	unc. j.	
Opium	gr. j.	iij.	vj.
. . . syrup. e meconio	dr. j.	unc. ss.	unc. jss.
. . . tinctura	gt. xx.	xxv.	xl.
Oxalis acetosellae succus	unc. ss.	unc. j.	

	dos. min.	med.	extr.
Piperis nigri baccae . .	gr. v.	xij.	sc. j.
Polypodii filic. mar. rad.	dr. j.	ij.	iij.
Quercus rob. cortex . . .	gr. xvi.	sc. j.	dr. ss.
Raphani rusticani radix	sc. j.	dr. ss.	sc. ij.
Rhabarbarum	gr. x.	dr. ss.	dr. j.
. . . . infusum . . .	unc. ss.	unc. j.	
. . . . tinctura vinos.	unc. ss.	j.	ij.
Rhi toxicodendron fol.	gr. ss.	j.	ij.
. . . extractum	gr. 1/3	gr. j.	iij.
Rhi radicans	gr. ss.	ij.	v.
. . . extractum . . .	gr. 1/3	j.	iij.
Ricini oleum express. .	unc. ss.	unc. j.	jss.
Sal ammoniac.	dr. ij.	dr. iij.	
. . . Cathart. Glaub. .	dr. iij.	dr. vj.	unc. jss.
. . . amarus	dr. iij.	dr. vj.	unc. jss.
. . . cornu cervi	gr. v.	x.	sc. j.
Sapo Venetus	sc. j.	dr. j.	unc. ss.
. . Amigdalinus . . .	sc. j.	dr. j.	unc. j.
Sarsaparillae radix . .	sc. j.	dr. j.	dr. ij.
. . . . decoctum . . .	unc. jv.	lb. ss.	
Scammonium	gr. v.	x.	xv.
. . . electuarium . . .	sc. j.	dr. j.	dr. ij.
Scilla recens	gr. v.	xv.	dr. ss.
. . exsiccata	gr. j.	iij.	viij.
. . acetum scilliticum	dr. j.	dr. ij.	unc. ss.
. . oxymel scilliticum	dr. j.	unc. ss.	unc. iij.
. . syrupus	dr. j.	ij.	iij.
. . pilulae	gr. x.	xv.	sc. j.
Sennae folia	sc. j.	sc. ij.	dr. j.
. . . infusum comm.	unc. j.	ij.	jv.
. . . tinctura	unc. ss.	unc. j.	unc. jss.
Serpentaria Virg. . . .	gr. x.	sc. j.	dr. j.
Sinapis semen	dr. ij.	unc. ss.	

	dos. min.	med.	extr.
Sinapinum serum . .	unc. iij.	jv.	v.
Stanni pulv. et limat. .	dr. j.	dr. ij.	
Sulphur	gr. xv.	sc. ij.	dr. ss.
Tamarindi fructus . .	unc. j.	unc. jss.	unc. ij.
Tartarum emeticum . .	gr. j.	ij.	vj.
. . . solubile . . .	dr. j.	dr. ij.	unc. ss.
. . . vitriolatum . .	dr. j.	dr. ij.	unc. ss.
Terra Japonica . . .	sc. j.	sc. ij.	dr. j.
Terebenthina Venet. .	sc. j.	dr. j.	dr. ijss.
. . . in clystere . .	unc. ss.	unc. j.	
Ulmi campest. radix . .	sc. j.	dr. j.	
. . . decoctum . . .	unc. jv.	lb. ss.	
Uvae ursi fol. . . .	sc. j.	sc. ij.	dr. ss.
Valerianae silvestr. rad.	sc. j.	dr. j.	dr. ij.
. . . tinctura . . .	dr. ij.	iij.	unc. ss.
. . . extractum . . .	dr. j.	dr. ij.	
Veratri albi radix . .	gr. v.	sc. j.	
Vinum rubrum . . .			
. . . album			
. . . malacense . .			
Winteræ Aromat. cortex.	gr. x.	xv.	sc. j.
Zodoaria	gr. x.	dr. ss.	dr. j.
Zibetha	gr. ij.	viij.	sc. j.
Ziginber	gr. v.	x.	xv.

FORMULAE MEDICAMENTORUM.

Adstringentia.

Alumen.

℞. Alum. gr. xv.
Conserv. ros. sc. j.
Syrup. e cort. aurant. q. s. *f. bolus.*

℞. Alum.
Terr. japon. āā p. aeq.
f. pulv. dos. sc. j.

Terra Japonica.

℞. Terr. japon. unc. ss.
Aq. font. lb. j. coq. ad unc. vj. *Depur. per subsid. add.*
Aq. cinnam. spirit. unc. ij.
Syrup. e mecon. unc. j. *dos.* unc. j.

℞. Terr. japon. sc. ij.
Aq. Cinn. sim. unc. jss.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haustus.*

℞. Terr. japon. sc. ij.
Syrup. simpl. q. s. *f. bolus.*

Tormentilla.

℞. Tormentill. rad. pulv. dr. j.
Syrup. rosar. q. s. *f. bolus.*

Sulphas zinci, seu vitriolum album.

℞. Vitriol. alb. sc. ij.
Aq. ros. lb. j.
Olei vitriol. gt. x. *f. injectio.*

℞. Vitr. alb. gr. ij. - iv.
Aq. ros. unc. j. *f. Collirium*.

Sulphas Cupri, seu vitriolum coeruleum.

℞. Vitr. coerul. gr. x.
Aq. cinnam. simpl. lb. j. *f. tinctura, dos. cochl.* j.

℞. Vitr. caerul. gr. x.
Aq. ros. unc. iv. *f. injectio.*

Solutio sulphatis Cupri Comp. seu Tinctura arsenicalis Fowler.

℞. Arsenic. alb. subtilis. pul.
Kali pp. ana gr. 64.
Aq. font. distill. lb. ss. *Immittantur in ampullam florentinam, qua in balneo arenae posita, aqua lente ebulliat, donec arsenicum perfecte solutum fuerit. Deinde solutioni frigidae adde.*
Spirit. Lavend. compos. unc. ss.
Aq. font. distill. lb. ss. *plus vel minus, adeo ut solutionis mensura libra una accurata sit, vel potius pondere unciarum quindecim cum dimidia.*
Dosis pueris gt. v. — vij. Adultis gt. xij. — xv. in aquae unc. iij. *ter in die.*

℞. Serum Aluminosum.
Seorsim exhibend. Dos. unc. iv. *pro re nata.*

Tinctura Japonica.

℞. Tinct. Japon. dr. ij.
Aq. melis. simpl. unc. jss.
Tinct. Thebaic. gt. xv.
Syrup. citr. dr. j. *f. haustus.*

Gargarismata adstringentia.

℞. Alum. unc. ij.
Tinct. rosar. lb. j.
Mel. rosac. dr. j.-unc. ij. *f. gargarism.*

℞. Cort. quer. unc. j.
Vini rubr. unc. xvj.
Alum. crud. dr. ij. *Digere per aliquod tempus; cola pro usu externo.*

℞. Cort. querc. unc. j.
Coque in Aq. font. q. s. colaturae lb. ij.
Colat. adde
Alum. dr. j.
Spirit. vini unc. j. *f. gargarisma.*

℞. Borac. pur. unc. j.
Solve in aq. font. fervent. lb. j.
Adde Mell. depur. unc. ij. *f. gasgaris.*

ANTIPHLOGISTICA.

Acetum.

℞. Aq. hordeat. unc. ij.
Aceti unc. j.
Mel. rosac. unc. ij. *f. gargarism.*

Decocta antiphlogistica.

℞. Decoct. hord. lb. ij.
Nitri puri dr. j.
Syrup. simplic. unc. j. *pro potu usitat.*

℞. Aquae tepid. lb. ij.
Succ. Aurant. unc. j.
Syrup. e cort. aurant. unc. jss. *pro potu usitat.*

Haustus antiphlogisticus.

℞. Aq. distill. lauro-cerasi gutt. vj.
Aq. font. distill. unc. ij. *f. haust.*

℞. Acid. prussici gutt. vj.
Aq. font. distill. unc. ij. *f. haust.*

℞. Aq. distill. amygdalar. amar. dr. j.
Aq. font. distill. unc. iij. *f. haust.*

℞. Kali praepar. dr. j.
Succ. limon. unc. ss.
Aq. tot. citri unc. iij.
Aq. font. unc. vj.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haust.*

Enemata antiphlogistica.

℞. Aq. hordeat. unc. x.
Nitri dr. j.
Mellis unc. j. *f. enema.*

℞. Malvae decoct. unc. x.
Olei lini unc. j. *f. enema.*

Potio antiphlogistica.

℞. Crem. tart.
Nitri pur. āā dr. iij.
Aquae fontis unc. vj.
Succi citr. recent. unc. ss.
Syrup. citr. unc. j. *f. haust. ad omne bihorium cochleare unum.*

Pulvis resolvens.

℞. Cremor. tart. pulv. unc. ss.
Tart. emet. gr. ji.
m. et divid. in part. aequal. n. vj.
sumenda una singulis binis horis.

Remedia quae varias secretiones adaugent.

Purgantia cathartica.

Aloe.

℞. Aloes socot. dr. j.
Sapon. dur. dr. j.
Syrup. q. s. b. *f. pilulae*. Dos. sc. ss.

Cassia fistularis.

℞. Cassiae fistul. pulp. unc. ij.
Seri lactis lb. j. *solv. et cola pro tribus dosib. singulis horis propinand.*

Manna.

℞. Mannae unc. j.
Aq. fervent. unc. v.
Tart. solub. dr. j—dr. iij. *f. haustus.*

℞. Mannae.
Ol. amygd. āā unc. ss.
Vitel. ov. q. s. *terantur*;
Sal. cathart. amar. (in aq. fervent. unc. ij. solut.) unc. ss. *f. haustus.*

Tamarindi.

℞. Tamarind. unc. ij.
Sennae fol. dr. ij. *coque* in aquae font. lb. jss. ad lb. j. et cola. *Dosis cochl.* iij. *singulis horis sumend.*

℞. Tamarind. unc. j. *coque* in seri lact. unc. viij. *Colaturae adde.*
Mannae unc. ij. *per vices sumend.*

Senna.

℞. Sennae fol. dr. ij.
Aq. font. unc. x. coque ad unc. vj. *cola et adde.*
Sacch. alb. dr. ij. *dosis* unc. j. *omni hora, donec alvus fuerit soluta.*

℞. Sennae fol. sc. j.
Sacch. alb. gr. x.
Tart. vitriol. gr. x. *f. pulvis pro dosi.*

Jalapium.

℞. Jalap. pulv. gr. xxv.
Syrup. simpl. q. s. *f. bolus.*

Rhabarbarum.

℞. Rhabarb. pulv. sc. j.
Syrup. simpl. q. s. *f. bolus.*

℞. Rhabarb. sc. j.
Jalap. gr. v.
Aq. fontan. unc. j.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haustus.*

Infusum amarum purgans.

℞. Inf. amar. purg. unc. ij.
Tinct. sennae dr. j. *f. haustus.*

Potio laxans.

℞. Sal. amar. unc. jss.
Mannae elect. unc. j.
Solv. in aq. unc. viij. *f. haustus.*

℞. Crem. tart. dr. iij. *solve* in aquae fervent. unc. vj. *adde.*
Mannae unc. ij. *et cola. Per vices sumend.*

℞. Crem. tart.
Flor. sulph. āā unc. j.
Mell. q. s. *f. elect.*

℞. Sal. Cathart. Amar. unc. j.
Solve in aq. Fervent. unc. viij.
Dos. cochl. ij. *omni hora donec solvatur alvus.*

℞. Sal. Cathart. Glaub. unc. j.
Aq. fervent. unc. viij. *per vices sumend.*

℞. Rad. rhabarb. dr. j.
Folior. sennae dr. ij.
Sal. amar. unc. ss. *Infunde in aq. fervent. q. s., colaturae* unc. vj. solve Mannae elect. unc. j. *per vices sumend.*

Purgantia Drastica.

Cucumis Colocynthis.

℞. Cucum. Colocynth. gr. 1/2.
Conserv. rosar. gr. viij. *f. bolus.*

℞. Cucum. Colocynth. fruct. gr. xx.
Decoct. malv. unc. viij. *f. enema.*

Gambogia Gutta, seu Gummi gutta.

℞. Gumm. gutt. gr. iij. — vj.
Sacch. alb. sc. j. *f. pulvis.*

℞. Gumm. gutt. gr. x.
Calomel. gr. iij.
Syrup. simpl. q. s. *f. bolus.*

Ramnus Catharticus vulgo Spina Cervina.

℞. Rhamn. Cathart. bacc. dr. ij.
F. decot. in s. q.
Aq. font. Colat. lb. j. *Dos.* unc. ij. — iij.

℞. Rhamn. Cathart. syrup. unc. ss.
Aq. melis. vulg. unc. ij. *f. haustus.*

Scammonium.

℞. Scammon. gr. v.
Sacch. alb. sc. j. *f. p.*

℞. Scammon.
Gummi Guajac. āā sc. j.
Solv. vitel. ovi
Adde
Aq. fontan. unc. ij.
Syrup. ros. sc. j. *f. haustus Dos.* unc. ss.

℞. Scammon.
Extract. Jalap. āā unc. ij.
Amom. Zingib. unc. ss. *Tere separat.*
m. f. pulvis. Dos. gr. x. — xv.

℞. Scammon. sc. vj.
Extract. Jalap.
Aloes socot. āā unc. ss.
Amom. Zingib. unc. ss. *Tere separatim*
m. f. pulvis. Dos. gr. x. — xv.

℞. Scammon. unc. ss.
Calomel.
Sacch. alb. āā dr. ij. *tere separat.*
f. pulv. Dos. gr. x. — sc. j.

℞. Electuar. e Scammon. sc. ss. — j.

DEMULCENTIA.

Althaea.

℞. Althaea rad. unc. ij. *coque* ex
Aq. font. lb. iij. ad ij. *adde*
Syrup. ex succ. limon. unc. ij.

Amygdalae dulces:

℞. Amygd. dulc. n. xv.
Ol. amygdal. unc. j.
Gumm. arab.
Sacch. alb. āā dr. ij.
Aq. font. unc. viij. *f. emuls:*

Caricae.

℞. Caricar.
Uvar. pass.
Alth. rad. āā unc. j.
Glycyrrhizae dr. ij.
Aq. bullient. lb. ij. *Infunde et cola:*

Gummi arabicum.

℞. Gum. arab. dr. ij. *Coque* in
Aq. hord. lb. ij. *adde*
Syrup. e succ. Limon unc. jss. *pro potu.*

℞. Aq. hord. lb. ij.
Mucilag. Gumm. arab. unc. j. *f. enema.*

Mucilago sem. Cydoniorum.

℞. Mucil. sem. cydon. unc. ss.
Mel. rosac. unc. jss.
Syrup. e meconio unc. j. *f. linctus.*

Emulsio oleosa.

℞. Ol. Amygdal. unc. j.
Gumm. arab. dr. j.
Syrup. Citr. unc. ss. *diu tritis adde:*
Aq. tot. citri unc. viij. *f. mixtura.*

Diaphoretica:

Ipecacuanha.

℞. Ipecac. gr. j.
Conserv. rosar. sc. j. *f. bolus.*

Tartarus emeticus.

℞. Tart. emet. gr. j.
Aq. distill. unc. jss. *f. haustus.*

℞. Tart. emet. gr. j.
Conserv. rosar. sc. j. *f. bolus.*

℞. Tart. emet. gr. ij.
Magn. alb. sc. ss., *quamoptime terantur* ut *f. pulv. subtilissimus.* Dosis gr. iv. ad xvj.

Sal neuter.

℞. Sal. Absint. vel tart. sc. j.
Succ. limon. unc. ss.
Aq. pur. unc. jss.
Syrup. simpl. unc. j. *f. haustus.*

Haustus diaphoreticus.

℞. Spirit. Minder.
Inf. flor. samb. āā unc. iij.
Oximell. simpl. unc. j. *f. haustus.*

Pulvis Doweri.

℞. Pulv. tart. vitriol. dr. iij.
Opii puri
Rad. Ipecacuanh. āā sc. j. *diu terendo fiat pulv. subt.* Dos. gr. v. — xij.

Sulphur stibiatum citreum seu sulphur auratum antimonii.

℞. Sulph. aurat. Antimon. gr. v.
Pulv. rad. Ipecacuan.
Sacch. alb. aa gr. xv. *f. pulvis. Dos.* gr. iij. — vj.

℞. Sulph. aurat. Antim. gr. j.
Sacch. alb. sc. j. *f. pulvis.*

℞. Sulph. aurat. antim.
Tart. vitriol. ana dr. ss.
Carbonat. calc. praep. dr. ss. *f. pulvis. Dos.* sc. j.

Diaphoretica Stimulantia.

Camphora.

℞. Camphor. ras. gr. viij.
Gumm. arab. sc. j.
Syrup. simpl. q. s. *f. bolus.*

℞. Camphor. gr. iij.
Sacc. alb. dr. j.
Gumm. arab. sc. j. *diu tritis adde*
Aq. simpl. unc. jss. *f. haustus.*

℞. Camphor. dr. ij.
Amygdal. dul. excort. unc. ss. *f. pilulae. Dos.* sc. j. — dr. ss.

Guajacum.

℞. Guajac. gum.
Conserv. ros. aa sc. j. *f. bolus.*

℞. Guajac. gum. (vitell. ov. solut.) sc. j.
Aq. menth. vulgar. dr. ij.
Sal. volat. corn. cerv. gr. v.
Syrup. simpl. unc. j. *f. haustus.*

Daphnes mezereon.

℞. Daphn. mezer. rad. pul. unc. iij.
Aq. pur. lb. vj. *coque leni igne ad tertias et cola. Dosis* unc. vj. *quater in die.*

Sarsaparilla.

℞. Sarsaparill. rad. unc. iij.
Aq. pur. lb. vj. *Coq. leni igne ad tertias et cola. Dosis* unc. viij. *quater de die.*

Moschus.

℞. Mosch. gr. x.
Conserv. rosar. sc. j. *f. bolus.*

DIURETICA.

Colchicum.

℞. Colchic. autum. rad. rec. unc. j.
Aceti lb. j. *Digere lento igne per* 48. *horas et cola.*

℞. Acet. colch. lb. j.
Mell. pur. lb. ij. *misce et leni igne saepe agitando cochl. ligneo, coq. ad mellis consistentiam.*
Oxymell. simp. dr. ss. — j. *in vehiculo dilut.*

Digitalis purpurea.

℞. Fol. recent. digit. purp. unc. iij.
Coque in aq. font. lb. jss.
Colat. unc. ix. *Adde*
Aq. juniperi
Syrup. aurant. aa unc. jss.
Dos. omni quatrihorio cochl. ij.

℞. Herb. digit. purp. siccae sc. j.
Coque in s. q. aq. font. colat. lb. j.
Adde
Syrup. aurant. unc. j.
Dos. cochl. ij. *omni bihorio*.

℞. Pulv. herb. digit. purp. gr. j.—ij.
Sacch. alb. sc. j. *f. pulvis. Dentur dos. tales tres, vel quatuor in die.*

Nitrum.

℞. Nitr. purif. sc. ij.
Aq. tepid. lb. ij.
Syrup. simpl. unc. j. *pro potu.*

Oleum Terebinthinae.

℞. Ol. terebinth. gutt. x.
Oxymel. scillit. sc. j.
Extract. chamaem. q. s. *f. bolus.*

Balsamum Copaive.

℞. Balsam. Copaiv. gt. xv.
Emuls. gum. arab. unc. j.
Aq. puleg. unc. j. *f. haustus.*

Pareira Brava.

℞. Par. brav. pulv. unc. ss.
Vin. opt. lb. ij. *Infunde frigide per* 24. *hor. Dos.* unc. jss.

Scilla.

℞. Scill. rad. exsiccat. gr. jv.
Sap. dur. sc. j. *f. bolus.*

℞. Scill. rad. exsiccat. gr. iv.
Conserv. rosar. q. s. *f. bolus.*

Scilla cum Calomelano.

℞. Merc. dulc. gr. vj.
Scill. Marin. gr. iij.
Extract. chamomil. dr. j. *f. pilulae.*
N. xviij. Dent. ij. — iij. *bis vel ter in die;*

Mixtura Scillitica.

℞. Acet. Scillit. unc. j.
Aq. tot. citr. unc. iiij.
Syrup. simpl. unc. j. *f. mixtura.*
Dos. Cochl. j.

Oximel scilliticum.

℞. Oxym. Scill. dr. ij.
Roob. samb. sc. j.
Aq. melis. vul. unc. ij. *f. haustus.*

Terebinthina Veneta.

℞. Tereb. Venet. dr. j.
Mucilag. gum. arab. unc. ss.
Aq. puleg. unc. vj.
Syrup. citr. unc. ss. *f. emulsio.*

℞. Terebinth. Venet.
(ovi vit. solut.) unc. ss.
Decoct. malv. unc. x.
Olei lin. unc. j. *f. enema.*

Tinctura cantharidum.

℞. Tinct. cantharid. gutt. xij.
Aq. melis. dr. ij.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haustus.*

EMETICA.

℞. Pulv. rad. Ipecacuan. gr. v. — sc. j.

℞. Ipecacuan. gr. x.
Tart. emet. gr. j.
Aq. puleg. simpl. unc. j.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haustus.*

Sulphas zinci seu vitriolum album.

℞. Vitriol. alb. sc. j.
Aq. font. unc. ij.
Syrup. simpl. dr. ij. *f. haustus.*

Antimonium tartarisatum seu tartarus emeticus.

℞. Tart. emet. gr. ij. — iv.
Aq. puleg. simpl. unc. j.
Syrup. viol. dr. j. *f. haustus.*

℞. Tart. emet. gr. iij.
Aq. distill. unc. iij. *f. haustus.*

℞. Tart. emet. gr. j.
Pulv. rad. ipecacuan. gr. xx. *f. pulvis.*

Emeto — catharticum.

℞. Sal. amar. unc. j.
Tart. emet. gr. ij.
Aquae distill. unc. vj. *f. haustus.*

EXPECTORANTIA.

Gummi Ammoniacum.

℞. Gumm. ammon. dr. j.
Solve in ovi vitello
Adde
Aq. melis. simpl. unc. vj.
Syrup. scillit. unc. jss. *f. mixt. Dos.* unc. j.

Lac Ammoniacum.

℞. Lac Ammoniac. unc. vj.
Oxymel. scillit. unc. vj. *f. mixtura.*
Dos. unc. j.

Antimonii sulphuretum fuscum seu Kermes Mineralis.

℞. Kerm. mineral. gr. ij.
Conserv. ros. q. s. *f. bolus.*

SCILLA VID. DIURETICA.

Mixtura Diuretica.

℞. Flor. samb. unc. j.
Digere in
Aq. font. q. s. *colat.* unc. vj.
Adde
Oxymell. Scillit. unc. j.
Syrup. simpl. unc. j.
Sal. Tart. emet. gr. ij.
Dos. cochl. duo omni bihorio.

Poligala Senega.

℞. Rad. Polyg. seneg. gr. xv.
Sacch. alb. sc. jss. *f. pulvis.*

℞. Polyg. seneg. dr. ss.
Digere in aq. font. lib. j.
Colat. unc. viij. *Dos. paulatim intra* 24. *horas.*

℞. Rad. polyg. seneg. unc. ss.
Coque in Aq. font. q. s. colat. unc. vj.
Adde Gumm. ammoniac. depur.
Tart. tartaris. ana dr. j.
Oxymell. scillit. unc. jss.
Syrup. simpl. unc. j. *Dosis cochl. unum omni bihorio.*

Benzoes.

℞. Flor. benzoes gr. iij.
Elaeosacch. anis gr. x. *f. p. aeq.* xij.
Dos. una omni hora.

Tartarus emeticus.

℞. Tart. emet. gr. v.
Oxymel. scillit. unc. j.
Aq. tot. citr. unc. vij. *f. mixtura.*
Dos. cocl. j. 2.a *quaque hora.*

MENAGOGA.

Aloe Socotorina.

℞. Aloes socot.
Sap. dur. ana p. aeq.
Mel. q. s. *f. pilulae Dos.* dr. ss.

℞. Elix. aloes gt. xx. — lx.
Saccharo instillatas.

℞. Tinct. aloes
Ammon. praep. ana unc. ss.
Dos. gutt. xxx. *in quovis vehiculo.*

℞. Tinct. aloes.
Tinct. mart. pom. ana unc. j.
Dos. cochl. min. in quovis vehiculo.

℞. Aloes socot. dr. ss.
Merc. dulc. gr. vj.
Rhab. sub. pul. dr. ij.
Syrup. simpl. q. s. *f. pilulae Dos.*
gr. v. — x. *bis in die.*

Ferrum.

℞. Limat. ferr.
Myrrhae
Sapon. dur. ana sc. j.
Mel. q. s. *f. pilulae. Dos.* dr. ss.

℞. Limat. Ferr. gr. x.
Pulv. cinnam. gr. ij.
Conserv. ros. q. s. *f. pilulae.*

℞. Ferr. limat.
Extract. gentian. ana dr. j.
f. pilulae med. cap. 4. omni nocte.

Murias ammoniae et ferri seu flores salis ammoniac. martiales.

℞. Flor. sal. ammon. mart. gr. x.
Conserv. ros. q. s. *f. pilula.*

℞. Flor. sal. ammon. mart.
Myrr. elect. ana x.
Sacch. alb. sc. j. *f. pulvis pro dosi.*

Tinctura cantharidum.

℞. Tinct. cantharid. gt. x.
Aq. melis. unc. jss.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haustus.*

REMEDIA EXCITANTIA.

Excitantia Volatilia.

Opium.

℞. Opii pur. gr. j.
Extract. chamomil. gr. iij. *f. pilulae.*

Tinctura Thebaica.

℞. Tinct. Thebaic. gt. xv. — xxv.
Aq. cinnam. unc. j.
Syrup. e mecon. dr. j. *f. haust.*

℞. Tinct. theb. gt. xx. *saccharo instillat.*

Balsamum Peruvianum.

℞. Bals. Peruv. sc. j.
Aq. cinnam. unc. ss.
Nuc. mosch. dr. j.
Liq. anod. Hoff. gutt. x. *f. haustus:*

Liquor volatilis cornu cervi.

℞. Liquor. cornu cervi sc. j.
Tinct. Castorei dr. ss.
Aether. sulphur. dr. ss.
Aquae meliss. unc. vj. *f. haustus,*
cap. cochleare unum omni dimidia hora:

Aether sulphuricus.

℞. Aether. sulphur. sc. j.
Aqu. meliss. unc. vj.
Spirit. corn. cervi sc. j.
Syrup. simpl. unc. ss. *f. haustus cap.*
cochlear unum omni dimidia hora.

℞. Aeth. sulphur. dr. j.
Aq. cinnamom. unc. ij. *f. haustus, co-*
chlear unum omni bihorio.

Ammonia liquida.

℞. Ammon. liquid. gt. x.
Aq. meliss. unc. iij. *f. haustus.*

℞. Aq. ment. vulg. unc. j.
Ammon. liquid. gt. x.
Syrup. cort. peruv. dr. j. *f. haustus.*

Linimentum ammoniae.

℞. Alcal. volat. fluor. unc. ij.
Olei olivar. unc. ij. *f. linimentum pro*
frictionibus.

Phosphorus.

℞. Phosphor. gr. vj.
Olei amygdal. unc. iv.
Solv. phosph. in oleo tepido. *Dosis cochl. unum ter vel quater in die.*

℞. Aether. phosphor. gut. vj. — x.
Aq. meliss. unc. ss.
Syrup. simpl. unc. ss. *f. haustus.*

EXCITANTIA ANTISPASMODICA.

Asa foetida.

℞. Asae foetid. dr. ij.
Ol. anisi gutt. xxx. *f. pilulae. Dos.* sc. j.

℞. Asae foetid. dr. j.
Conserv. rosar. q. s. *f. pilulae. Dos.* gr. vj. — sc. j.

℞. Asae foetid. dr. ij. *solve in*
Spirit. minder. unc. j. *adde*
Aq. puleg. unc. iij. *Dosis in pueris cochl. unum omni hora.*

℞. As. foetid. gr. x. —. xx. *solve*
Vitello ovi. *Adde*
Inf. flor. chamom. unc. iv. *pro clystere.*

℞. Rad. valerian. sylv. unc. ss.
Aq. font. unc. xij. *Coque parum et adde.*
Asae foet. unc. jss. *f. enema.*

Camphora.

℞. Camph. ras. gr. x.
Gum. arab. sc. j.
Syrup. simpl. q. s. *f. bolus.*

℞. Camph. ras. dr. ss.
Mucilag. e gum. arab. dr. ij. *terantur*
Aq. menth. vulg. unc. vj.
Syrup. simpl. unc. j. *f. emulsio.*

Linimentum camphoratum.

℞. Camph. ras. unc. j.
Ol. Amygd. unc. j. *f. liniment.*

Moschus.

℞. Mosch. gr. ij. — vj.
Conserv. rosar. sc. j. *f. bolus.*

℞. Mosch. sc. ij.
Gumm. arab. dr. j. *simul tritis adde*
Aq. rosar. unc. vj.
Syrup. simpl. unc. ss. *f. julep. Dosis* unc. j.

Valeriana Sylvestris.

℞. Valerian. sylv. rad. pul. dr. ij. *pro dosi.*

℞. Valer. Sylv. rad. pulv. dr. ij.
Aq. cinnam. simpl. unc. ij.
Aq. nuc. mosch. dr. j.
Syrup. citr. dr. jss. *f. haustus.*

℞. Tinct. Valer. sylv. dr. iij.
Aq. meliss. simpl. unc. vj.
Syrup. simpl. dr. iij. *f. julepum.*

℞. Tinct. castor. unc. ij.
Aq. meliss. unc. vj.
Syrup. e cort. aurant. unc. iij.
f. julep. Dos. cochl. j.

℞. Julep. e mosch. unc. ss.
Liq. anodyn. Hoff. gt. xxx.
Aq. tot. citr. unc. ss. *f. haustus.*

℞. Aeth. sulph. gt. xx.
Aq. melis. unc. ss. *f. haustus.*

Excitantia Tonica.

Ferrum.

℞. Aquae chalibeatae.

℞. Ferri limat. dr. j.
Extract. gentian. dr. j. *f. pilulae med.*
Dosis n. iv.

℞. Tinct. mart. pomat. sc. jss.
Aq. cinnam. unc. j. *f. haustus.*

℞. Vinum chalibeatum *cochl.* j. *ter de die.*

℞. Extract. mart. pomat. gr. x.
Aq. font. unc. iv.
Syrup. cinnam. unc. j. *f. haustus.*
Dos. Cochl. j. *omni bihorio.*

Sulphas ferri seu sal martis.

℞. Sal. mart.
Extract. cort. peruv. ana p. aeq.
f. pilulae gr. v. *Dos.* gr. x. *ter quaterve in die.*

Cortex Peruvianus.

℞. Cort. Peruv. sub. pulv. unc. j.
Extract. chamomil. unc. ss.
Syrup. e cort. aurant. q. s. *f. electuar.*

Decoctum corticis Peruviani.

℞. Cortic. Peruvian. optim. unc. j.
Digere in vase clauso cum
Aq. font. q. s. ad reman. unc. ix.
Dos. unc. ij. *omni vice.*

℞. Cort. peruv. optim. unc. j.
Coq. in s. q. aqu. Col. lb. j.
Adde
Aeth. sulph. dr. j.
Extract. cortic. peruv. dr. ij.
Aq. cinnam. unc. ij.
Syrup. cort. aurant. unc. j. *Dent. cochl. duo omni hora.*

℞. Cort. peruv. rubr. unc. ij.
Coq. in s. q. Aq. colat. lb. ij.
Col. adde
Liq. anod. Hoff. dr. jss.
Camph. ras. sc. j.
Syrup. e cort. aurant. unc. ij.
Dos. unc. j. *omni bihorio.*

℞. Cort. peruv. rubr. unc. j.
Coq. in s. q. aq., sub fine
Coct. adde per inf.
Rad. serpent. virg. unc. ss.
Col. lb. j. et ss.
Col. adde
Syrup. e cort. aurant. unc. j.
Aq. cinnam. unc. ss.
Spirit. corn. cerv. volat. dr. j.
Dos. unc. j. *omni bihorio.*

℞. Extr. cort. peruv. dr. j. *f. pilulae.*
Dos. gr. x. — sc. j.

Gentiana.

℞. Gentian. rad. pulv. dr. ss.
Aq. menth. piperit. unc. ij.
Syrup. simpl. dr. j. *f. haustus.*

℞. Aq. cinnam. unc. j.
Nuc. mosch. dr. ij.
Spirit. volat. arom. gut. xx. — L.
Syrup. e mecon. dr. j. *f. haustus.*

REMEDIA

QUAE VIM ABSORPTIONIS ADAUGENT.

Aconitum.

℞. Aconit. napell. pulv. gr. j. — ij.
Sacch. alb. sc. ss. *f. pulvis.*

℞. Aconit. napell. extract. gr. iv.
Sacch. alb. unc. ss. *contere diu ut f. pulvis subtilissima. Dos.* gr. x. — dr. j.

℞. Extract. Aconit.
Sulph. aurat. antim. ana gr. vj.
Sacch. alb. dr. j. *f. pulvis et divid. in sex partes aeq.; cap. una omni bihorio.*

℞. Extract. Aconit. gr. iv.
Inf. flor. samb. unc. vij.
Rhoob sambuci unc. j. *Dosis cochl. unum omni hora.*

Barites muriata.

℞. Barit. muriat. dr. j.
Solve in aq. distill. unc. jss. *Dos. pueris* gt. iv. — vj., *adultis* gt. x. a xxx.

Atropo Belladonna.

℞. Pulv. herb. belladon. sicc. gr. j. — v.
Sacch. alb. sc. j. *f. pulvis. Dos. talis bis in die.*

℞. Herb. belladon. sicc. sc. j.
Infunde in aq. fervent. unc. x.
Filtretur. *Dosis* unc. ij. *omni die*.

Calx muriata.

℞. Calc. muriat. dr. j.
Solv. in aq. distill. unc. ij. *Dos. quavis* gt. vj. — x. *Adultis* gt. xij. — xxx.

DIGITALIS PURPUREA VIDE DIURETICA.

Dulcamara.

℞. Stipit. dulcamar. unc. j.
Aq. font. lb. jss. *coque ad* lb. j. *et liquor. frigid. cola Dos.* unc. ij. *omni die.*

Extractum Cicutae.

℞. Extract. Cicut. unc. j.
Pulv. folior. cicut. q. s.
f. pilulae. *Dos.* gr. v. — dr. j.

℞. Extract. Cicut. gr. xv.
Aq. fontis
Aq. meliss. simplic. ana unc. iv.
Syrup. Citr. unc. j. *Detur pueris cochl. parvum ter vel quater in die; adultis cochl. unum omni bihorio.*

Gummi Ammoniacum.

℞. Gumm. ammon. dr. ij.
Extract. chamaemel. q. s. *f. pilulae.*
Dos. sc. j. — sc. ij.

℞. Gumm. ammon.
Sapon. venet. ana dr. j.
Ol. anis. gt. xv. *f. pilulae*. *Dos.* dr. ss.

Calx Zinci, seu flores Zinci.

℞. Flor. Zinci gr. j. — iij. — viij.
Magnes. alb. gr. viij.
Sacch. alb. sc. ss. *f. pulvis.*

℞. Flor. Zinci gr. viij.
Conserv. ros. q. s. *f. bolus:*

Ammoniaretum cupri, seu cuprum ammoniacale.

℞. Cupr. ammoniac. gr. j. — iij.
Conserv. rosar. q. s. *f. bolus.*

℞. Cupr. Ammoniac. gr. ij.
Mic. panis q. s. *f. bolus.*

℞. Cupr. Ammoniac. gr. iij. — vj.
Eleosacch. macis dr. j. *f. pulvis, et divid in* vj. *partes aeq. Cap. una ter de die:*

HYDRARGYRI PRAEPARATIONES PRO USU INTERNO.

Murias hydrargyri sublimatus seu mercurius dulcis.

℞. Merc. dulc. gr. ij. — vj.
Conserv. rosar. dr. ss. *f. bolus.*

℞. Merc. dulcis
Sulph. aurat. Antim. ana gr. iij.
Sacch. alb. dr. j. *m. f. pulvis et divid. in* vj. *partes aeq. Dosis duo vel tres in die.*

Oxidum hydrargyri nigrum, seu mercurius solubilis Moscati.

℞. Merc. solub. Moscat. gr. j. — iv.
Extract. chamaemel. q. s. *f. pilulae.*

Eodem modo exhiberi potest

Oxidum hydrargyri cinereum seu mercurius cinereus.

Murias oxygenatus hydrargyri, seu mercurius sublimatus corrosivus.

Liquor Van-Swieten.

℞. Sublim. corrosiv. gr. x.
Solve in Spirit. vin. lb. ij. *Dosis cochl.* j. *mane et vespere in vase vitreo.*

Pilulae hydrargyri gummosi Plenk.

℞. Merc. puris. sc. j.
Mucil. gumm. arab. scr. vj.
Contere diu in mort. usque ad perfectam mercurii extinctionem; adde
Extract. cicut. dr. j. *f. pilul.*
gran. ij. *Dos. quatuor omni die.*

Pilul. hydrargyri Pharm. Edinb.

℞. Merc. purif. unc. j.
Conserv. ros. unc. jss.
Contere diu in mort. vitreo usque ad extinctionem mercurii. Adde
Amyli unc. ij.
Mucil. gumm. arab. q. s. *ut fiat mass. et divid. in* 480 *pil. Dos. ter vel quatuor pilul. omni die.*

PRAEPARATIONES HYDRARGYRI PRO USU EXTERNO.

Methodus Clarke.

℞. Merc. dulc. gr. ij. — iv.
Affricentur gingivis, donec moveatur lenis salivatio.

Unguentum hydrargyri.

℞. Merc. puris. unc. j.
Axung. suil. unc. j. *Contere ad perfectam mercurii extinctionem. Dos.* dr. ij. — unc. ss. *pro inunctione.*

Unguentum hydrargyri Cirilli.

℞. Merc. sublim. corros. dr. j.
Axung. porcin. unc. j. *Contere per horas duas ut fiat unguentum. Dos.* dr. ss. — ij. *pro inunctione ad pedum plantas ante decubitum.*

Unguentum hydrargyri nitrati, seu unguentum citrinum.

℞. Merc. pur. unc. j.
Acid. nitros. unc. ij.
Solv. mercurium moderato calore in baln. arenae. Solutioni calidae. Adde
Axung. porc. solut. lb. ij.
Misce continuo in mort. vitreo et f. unguentum.

Aqua phagedenica.

℞. Sublim. corros. sc. j.
Solv. in Aq. calc. lb. j.

HYOSCYAMUS.

Tinctura hyoscyami.

℞. Herb. hyoscyam. pulv. unc. iij.
Spirit. vin. rectific.
Aq. distill. ana unc. iij. *Digere per dies tres, saepe agitando, colatura servetur. Dosis cochl.* j. *quater de die.*

Emulsio Hyoscyami.

℞. Sem. Hyoscyam. nigr. dr. ij
Sem. papav. alb. dr. vj.
f. l. a. Emuls. colat. unc. vj.
Colat. adde
Syrup. Alth. unc. j.
Aq. flor. nanph. unc. jss. *Dos. cochl.* j.
omni hora.

Extractum Hyoscyami.

℞. Extract. hyoscyam. nigr. gr. vj.
Pulv. cort. rad. Ipecacuanh. gr. ij.
Sacch. alb. unc. jss. *f. l. a. pulv.* n. xvj.
Det. una omni bihorio ex lacte.

Polygala senega.

℞. Rad. Polyg. Seneg. dr. vj.
Aq. font. lb. j. *f. l. a. Decoct.*
Colat. unc. ix. *Dos.* unc. ij.-iij. *ter in die.*

Pulsatilla nigricans.

℞. Extract. pulsatill. nigric. gr. j.—iv.
Conserv. rosar. q. s. *f. bolus.*

℞. Extract. pulsatill. nigric. dr. ss.
Extr. Scill. aquos. gr. vj.
Calomelani gr. iv.
Syrup. simpl. q. s. *f. pilulae* gr. ij.,
dentur tres vel quatuor omni die.

Extractum Taraxaci.

℞. Extract. taraxac.
Sapon. venet. ana dr. ij.
Sulph. aurat. antim. sc. j.
Gumm. ammon. dr. j. *Fiant pilulae*
gr. iij. *Dos. pil.* iij.—v. *ter de die.*

℞. Extract. Taraxaci dr. iij.
Gumm. ammon. dr. jss.
Merc. dulc. scr. j. *M. f. pilulae* gr. iij.
Dos. iij. — v. *ter de die*.

REMEDIA QUAE VERMES ENECANT AUT EXPELLUNT.

Calomelas.

℞. Calomel. gr. j.
Conserv. rosar. q. s. *f. bolus.*

℞. Merc. dulc. gr. xx.
Pulv. rad. Jalap. dr. jss.
Sem. Cinnae dr. j.
Syrup. simpl. q. s. *f. pilulae* gr. iij.
dent. ij. — iij. *in die*.

GUMMI GUTTA VID. DRASTICA.

Filix Mas.

℞. Pulv. rad. filic. mar. scr. j.
Sacch. alb. dr. ij. *f. pulvis pro pueris.*

℞. Pulv. rad. filic. mar. dr. j. — ij.
Sacc. alb. dr. ij. *f. pulvis pro adultis.*

℞. Pulv. filic. mar. sc. j.
Herb. gratiol. gr. v.
Gummi guttae gr. iij. *f. pulvis sumenda cum jusculo carnis.*

Sabadillae Semen.

℞. Semin. Sabadill. dr. ij.
Infunde aqu. fervent. s. q. *et coque*
Colat. unc. vij. *Colat. adde*
Lactis vacc. unc. ij. *f. enema.*

Corallina off. seu Muscus Corallinus.

℞. Musc. Corall. unc. ss.
Coque cum aq. font. unc. iij.
Colat. express. unc. jss. *det. pro dosi.*

℞. Musc. Corallin. unc. jv.
Sacch. alb. lb. j.
Coque in s. q. aq. font. ad consistentiam syrupi. *Dos. cochl.* j. *mane et vespere.*

Conferva Helminthocorthi.

℞. Conf. helmint. unc. ss. — j.
Coq. in s. q. Aqu. font. *Colat.* lb. j.
Dosis pueris cochl. ij *omni bihorio;*
Adultis dr. ij. — iij.

Panacea mercurialis.

℞. Panaceae mercurialis
Resin. siccae scammon. ana gr. xv.
Gummi gutt. gr. xv. *f. pulvis.*
Adde
Confect. de hyacintho sc. ij. *f. bolus, detur post pulverem filicis maris ex methodo* Noufferiana.

Santonici semen.

℞. Sem. Santon. pulv. sc. j.
Det. in jusculo carneo.

℞. Semin. Sant. pulv. dr. j.
Infund. in aq. fervent. unc. iv. *f. haustus.*

℞. Sem. Santon. dr. jss.
Pulv. rad. Jalapp. dr. ij. *f. pulvis*
Det pueris cochl. j. — ij. *cum lacte.*

℞. Pulv. semin. Sant. gr. x.
Rad. Jalap. s. p. gr. viij.
Vitriol. Mart. gr. ij. *f. pulvis*
Det. pueris cum melle.

Stannum.

℞. Stann. puri sub. pulv. unc. jss.
Mell. dep. unc. j. *f. electuar.*

℞. Stann. pur. gran. dr. vj.
Syrup. Com. unc. iv.

℞. Stann. pur. gran. unc. j.
Extract. chamomil. dr. ij.
Mell. q. s. *ut f. electuarium det ante purgantia drastica.*

VID. PURGANTIA ET EMETICA.

Errores qui in primo volumine irrepserunt.

Pag.	13	atmosphera	atmospheram
	65	Cubilo	Cubiculo
	73	pletorici	plethorici
	74	estremitatum	extremitatum
	84	trachea	tracheae
	86	mestruae	menstruae
	113	frigido; delirium	frigido, delirium
		misti	mixti
	115	destri	dextri
	123	mestruorum	menstruorum
	126	cronicam	chronicam
	128	indicant	indicat
	133	rexolutis	resolutis
	137	urinae ruberrimae	urina ruberrima
	147	estendente	extendente
	192	inestinguibili	inextinguibili
		modo	modum
	210	tumulentia	temulentia
	220	strangulorum	stragulorum
	221	tintillationis	titillationis
	225	vicisitudines	vicissitudines
	232	violentia	violenta
	234	strangulis	stragulis
	265	oras	horas

In secundo volumine.

Pag.	34	respirationis	respiratione
	39	sanguis	sanguinis